



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio XI. De infinito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

trantur, quæ sunt in eodem loco secundum modum essendi in loco, superficies autem sphaeræ & sphaera v.g. non sunt in eodem loco, secundum eundem modum essendi, nam sphaera est in loco tanquam clausa intra superficiem, superficies autem est in loco, tanquam claudens sphaeram intra se.

Sed imprimis inquiri potest, quid intelligatur per Ly: ea penetrantur quæ sunt in eodem loco, secundum eundem modum essendi; nam sphaera & quadratum spissitudine respondens sphaeræ, penetrari possunt, & tamen hæc duo modum essendi in loco, non eundem habebunt; Sphaera enim habet modum essendi in loco rotundum, quadratum autem, habet modum essendi planum. Quod si hic salvari potest penetratio, cur salvari non poterit in superficie punctuali & sphaera? Deinde redit difficultas, superficies punctis terminativis constans & clauderet sphaeram, ut supponitur, & non clauderet, quia penetraretur

cum illa, nam si punctum additum puncto, penetratur cum puncto, ita additum divisibili penetrat divisibile cui additur. Denique quando dicitur quod illa superficies & sphaera non penetrantur, proprie, sequitur & non penetrari proprie ut vult respondens, & penetrari proprie, quia ad hoc non aliud requiritur, nisi ut res materialis una, se tota tangat aliam rem materialem, quod tunc habetur.

Adde tamen, quod alia sit hæc propositio, tangitur corpus trine dimensionum, quod etiam est profundum; & alia hæc; tangitur secundum formalitatem & connotationem non nisi. Hæc secunda propositio est falsa, tactus enim qui est quid Physicum non fit in formalitatibus; prima autem propositio est vera, & ex veritate illius sequitur, quod non sit illic distinctio lati quod tangitur, à profundo, adeoque nec superadditio merè latitudinis.

DISPUTATIO XI.

De infinito.

PRÆMITTO primò. Antiquos apud Aristotelem 3, Phys. textu 63, definiisse olim infinitum. *Quod sit id cuius nihil est extra.* Orta postea inter recentiores lis, debeatne hæc definitio definitio: sed quod non debeat:

RATIONEM primam ponit Oviedo, quia illi qui usurpabant hanc definitionem censebant infinitum esse impossibile, cur ergo communem definitionem rejiciunt, si utraque definitio ad chimæram terminatur.

RESPONDERI potest. Homo-Leonem, est Chimæra, & tamen, si homo-leonem definiat quis, quod sit mugibile, rugibile, malè definiret, sed definiendus esset quod sit animal rationale rugibile. Ergo etiam bonitas definitionis ad Chimæram se extendit. Immo in communi datur definitio & conceptus quidditativus entis rationis, non ergo inde, quia infinitum Chimæra, est, una præ alia definitio, prælegi non debet.

RATIONEM secundam ponit idem. Quia ex hac definitione sequitur dari infinitum, quod negant ita definiētes: assumptum probat: quia extra collectionem rerum possibilium nihil est extra: Ergo collectio rerum possibilium, erit infinita.

RESPONDETUR. Sicutabilia non sunt omnia actū à parte rei, ita nec sunt infinitum Categorematicum, quod solum negatur. Nec apparet, quod de hoc non egerint antiqui.

RATIONEM tertiam ponit Aristoteles: quia illud quod non debet esse extra, vel est aliquid pertinens ad infinitum, vel aliquid non pertinens: Si pertinens, tunc omne ens perfectum, erit infinitum, quia omne ens perfectum, debet habere perfectionem sibi debitam, adeoque nihil perfectionis illi debita, extra debet esse; si autem est aliquid impertinens ad infinitum, sed spectans ad aliquid aliud, mala erit definitio, quia posito uno infinito, posset poni aliud.

RESPONDERI posset: quod per ly nihil ejus est extra, debeat hoc intelligi: nempe infinitum est, quod habet omnem possibilem perfectionem in illo genere, in quo est infinitum, ex quo non sequetur, posito uno infinito, posse vel debere poni aliud.

PRÆMITTO secundò: *Duplex est infinitum, Categorematicum & Syncategorematicum.* Prius illud est, quod constat entitatibus simul positis, ex quibus actū semper accipere sit, & nunquam idem. Posterius autem est, quod constat entitatibus nunquam simul ponibilibus, ex quibus semper accipere sit, & nunquam idem. Prioris exemplum est infinitum Angelorum, si poneretur: posterioris, eternitas à parte post, de priori dubitatur, posterius infinitum omnes admittunt.

PRÆMITTO tertio: *Consentire omnes quod infinitum creatum, in Essentia, dari non possit.*

PRIMA Ratio est, quia infinitum in essentia, sicut includit infinitatem esse, ita includere debet infinitatem perfectionum: si includit infinitatem perfectionum, deberet infinitudinis perfectionum radicem includere, radix autem infinitudinis est independentia, independentiam autem includere non potest, quia esset Ens A se, creatura autem non potest esse Ens A se.

RESPONDERI posset, huic rationi in illa creatura dandam radicem infinitarum perfectionum, fundatarum non in a se, sed in participatione Divini esse; secundum mensuram requisitam ad infinitationem creaturæ, cum hæc non repugnet.

SECUNDA Ratio est: Quia si daretur infinitum in essentia, daretur infinitum in omni ratione entis; si daretur infinitum in omni ratione entis, daretur & posse agere infinitum, esse enim infinitum, requirit etiam posse agere infinitum. Si autem competere creaturæ posse agere infinitum, conveniret Creaturæ omnipotentia, hoc autem dici non potest, quia & posset omnia & non posset omnia, posset omnia ut supponitur, non posset autem omnia, quia se ipsam producere primo non posset.

RESPONDERI posset, Creaturam illam habituram potentiam infinitam in agendo, non tamen omnipotentiam, quia in genere potentia, dari potest infinitas, sine prædicato omnipotentia, quæ talis; quia potest etiam dari infinitudo quædam potentia, noscendi Syncategorematicè infinita, sine ullo prædicato omnipotentia: & sicut ex eo, quod DEUS non possit producere Chimæras, non definit esse omnipotens, sic nec creatura definit ex eo esse infinita potentia, quia se producere non potest, sicut nec definit habere potentiam obedientialem infinitam Syncategorematicè, quamvis nullam potentiam obedientialem ad seipsam producendam habeat. Deinde posset habere infinitudinem potentia, non quoad efficere, sed quoad emanare perfectiones &c.

TERTIA Ratio est, ex iis, quæ adfert Falsolus, concedens in aliis materiis infiniti creati possibilitatem, non in hoc; idque ex eo: Quæcunque essentia posita, potest alia dari perfectior. Ergo apparet primam infinitam non esse, quia alias infinito qua tali, majus dari posset. Deinde quæcunque creatura essentia posita, inter illam & essentiam Divinam est distantia infinita. Ergo alia possibilis est perfectior adeoque magis infinita.

RESPONDERI potest, has rationes in Principiis Falsoli, non concludere, quia posito semel infinito, poni potest bis infinitum & tamen per hoc non definit esse infinitum. Ergo. Certè si daretur infinitum hominum, in illo infinito per oppositum, majus esset materialiter infinitum capillorum, neque tamen per hoc definit infinitum hominum, esse infinitum. Cur ergo esset destruenda ratio infiniti in essentia, quamvis daretur

maius infinitum in essentia, nempe infinitudo Divinæ essentia? Deinde quamvis inter extensionem quamcunque & immensitatem Divinam, sit infinita distantia, tamen in principiis Falsoli non obstat quominus detur extensio infinita, sic nec obstat eadem distantia inter essentiam creatam & increatam, quominus detur essentia creata infinita.

Sed hæc solutio rationum procedit non nisi in sententia tenentium infinitum in aliis materiis possibile, nam de cætero illæ, tenent secundum ea, quæ inferius adferentur. Nunc jam ad magis disputabilia accedamus.

QUÆSTIO I.

De essentia & existentia actuali infiniti.

DICENDUM est primò. *Essentiam seu definitionem infiniti, eam esse ex Aristotele: Infinitum est ejus secundum quantitatem accipientibus semper aliquid accipere extra est.* Ly quantitatem, non pauci secernunt à definitione infiniti, eo quod hæc definitio videatur soli infinito in magnitudine competere. Ceterum quantitatem liberalius accipiendo, hoc est pro mensura finita, bene omni generi infiniti competere poterit.

PROBATUR. Definitionis Aristotelicæ bonitas, quia competit omni soli & semper proceditque per prima.

Ad pernoscendam melius essentiam infiniti, examinandum est, an repugnet infinito claudii terminis. Posse infinitum claudii terminis, docuerunt Arriag: & Hurt: Communiter sentiunt oppositum Authores.

IMPUGNAT hanc positionem stans pro communi sententia recentior Suar: quod habet finem non est infinitum; quod clauditur terminis, habet finem. Ergo quod clauditur terminis non est infinitum.

RESPONDERI posset, huic rationi ex dictis auctoribus. Quod habet finem propriè, hoc est non intercipiendo medium, quod tamen per mensuras finitas transiri non potest, illud non est infinitum: sed si habet finem improprie & intercipiendo mediū, quod per finitas mensuras transiri non potest, falsum est, quod illud non sit infinitum.

IMPUGNAT secundò idem. Ponamus lineas AC & AB. pyramidaliter erectas, supra basim ADB. easque infinitas, eo casu constituitur pyramis infinita; ducantur postea à costa ad costam lineæ, ita ut prima linea ducta à primo puncto, ad primum punctum costæ, constet duobus punctis, tertia tribus &c. & sic proportionaliter procedatur usque ad basim, quæ supponitur esse infinita, clausa tamen duobus terminis, quo casu devenire erit ad lineam maximam finitarum, quæ sit proxima lineæ sequenti infinitæ: & hoc implicat quia illa immediatè sequens linea & esset

esset infinita & non esset infinita: esset ut supponitur, ut potè basis A. D. B. infinita, non esset autem, quia maximam finitarum, non nisi excessu finito superaret.

RESPONDERI posset etiam huic argumento, quod scilicet non sit devenire unquam ad lineam maximam finitarum, hæc enim implicat, sed esset tantum prima quidem linea finita, ultima autem infinita, inter quas sine numero sunt aliae & quascunq; posueris, præter ultimam, adhuc aliae & aliae erunt ponibiles. Et sicut nec est nec videtur a DEO in possibilibus infinitis, maximus numerus finitus possibilium, quamvis videat & sint possibilia infinita; sic nec in constructione illius pyramidis erit linea maxima finitarum. Et certè penultima linea, non potest dici finita, quia alias etiam ultima, deberet esse finita ut potè penultimam excedens non nisi duobus v. g. punctis, cumque excedat lineas ante se infinitas positas & quidem excedat longitudine, hoc ipso debet esse infinita, & quaecunq; determinaveris lineam quam sequens sit infinita, etiam illa erit infinita. Dicentque oppositi: ex imaginatione finitorum, procedi ad imaginationem infiniti, quasi pedetentim procedendo per mensuras finitas, tandem sit devenire ad mensuram infinitam immediatè.

Restaurari potest sic adhuc argumentum, vel quaecunq; penultimam superat sequens linea duobus non nisi punctis, vel pluribus: si pluribus, non statim in suppositione, si duobus: Ergo ultima linea penultimam non nisi etiam duobus punctis superabit, nec habetur per quid evadat ad infinitudinem.

RESPONDERI posset, ultima linea est infinita. Sed nego etiam penultimam non esse infinitam propter rationem allatam, per quid ergo constituitur in infinitudine: dicent constitui per transitum inconsummabilem.

IMPUGNAT tertio Oviæ. Si infinitum posset claudi duobus terminis, posset habere antæternitas primum, & postæternitas ultimum, quod ipsum esset facere finitam æternitatem & quaecunq; mensura præterisset, finita esset. Et certè si semel asseratur, infinitum posse claudi terminis, dicam horam quamvis claudatur terminis, fore infinitam.

RESPONDERI posset, horam clausam terminis, non esse infinitam, quia habet transitum consummabilem. Ne æternitas à parte ante, habeat primum, obest absurdum; si enim haberet primum, haberet & secundum, de quo secundo non posset dici quòd sit ab æterno, seu quòd sit infinitum à parte ante, cum ante illud secundum præcesserit adhuc primum, & tamen æterno ante, nihil est prius: quod si illud secundum non est ab æterno, nec primum erit ab æterno, ut potè non superans secundum, nisi uno instanti; nullum autem est absurdum in eo, ut infinitum secundum id, secundum quod habet

rationem finiti, non sit infinitum; ut non est infinitum, secundum quod habet rationem primi & ultimi; sit tamen infinitum, quia habet transitum inconsummabilem, per finitas mensuras. Quæ autem dicta sunt de æternitate à parte ante, proportionaliter dici debent de æternitate à parte post; quòd non possit habere ultimum, quia alias deberet habere penultimum, quod penultimum non posset esse æternum à parte post, ut potè habens post se aliud, quod ipsum non posset esse æternum à parte post, ut potè superans non nisi uno instanti penultimum, quod probatum est, non esse æternum à parte post. Reflectit hæc disparitas ad hoc, quòd æternitas à parte ante, præter transitum inconsummabilem importet negationem prioris, quòd non est necesse reperiri in aliis infinitis.

IMPUGNAT quartò idem. De ratione infiniti non est, ut pertransiri non possit, nam æternitas à parte ante pertransiit, & tamen est infinita.

RESPONDETUR. Quando dicitur infinitum non posse pertransiri, supple non potest pertransiri per finitas mensuras, bene enim pertransiri potest per mensuras infinitas, & quia ita pertransiit æternitas à parte ante, ut dies hodiernus ab æternitate à parte ante distet infinitè & per mensuram infinitam, hinc fit ut salvari possit transitus inconsummabilis in æternitate, à parte ante.

IMPUGNARI insuper potest quintò: Tum quia, si infinitum posset claudi terminis, & clauderetur primo & ultimo, & ultimo, & non clauderetur: clauderetur ut supponitur; non clauderetur autem, quia quòd pertransiri non potest, non habet ultimum; sed infinitum pertransiri non potest. Ergo. Major probatur: si id quòd pertransiri non potest haberet ultimum, & haberet ultimum, & non haberet: haberet quidem ut supponitur, non haberet autem, quia si haberet ultimum, huc ipso pertransiretur definitione scilicet facta in ultimo. Neque dicas tantum ratione medii interjecti, salvari debere, quòd habeat transitum inconsummabilem, quia etiam dicam, ideo habet transitum inconsummabilem in medio, quia non habet terminos, & si etiam in medio, & medii medio clauderetur terminis, non haberet transitum inconsummabilem. Ergo apparet requiri ad transitum inconsummabilem. Negationem clausuræ per terminos. Tum quia infinitum clausum terminis & haberet terminum transitum inconsummabilem finitis mensuris, & non haberet quidem, ut supponitur, haberet autem, quia non cadit in imaginationem, rationeq; nulla probari potest, ut id quòd habet ultimum, non possit exhaustiri, quantumvis multiplicatis finitis mensuris. Sic v. g. quamvis ulna non sit ita magna ut centum cubiti, quia tamen centum cubiti clauduntur terminis, una ulna pertransire potest, licet multiplicata, centum cubitos.

cubitos. Et si centum cubiti non clauderentur termino, hoc ipso non jam essent centum cubiti, sed infinita longitudo. Ergo apparet transitum incommensurabilem formaliter negatione terminorum. Tum quia concedunt etiam oppositi, non posse unum infinitum esse majus altero in ratione infiniti, sed si infinitum clauderetur terminis, posset unum infinitum esse majus altero. Quod ipsum probatur; sint duæ lineæ infinitæ, una clausa terminis, alia non clausa, illa clausa terminis, & esset æqualis non clausæ, in ratione infiniti, & non esset æqualis: esset æqualis, ut superponitur; non esset autem, quia post terminum illius prioris, procurret illius alterius, non esset major in ratione aliqua finita. Ergo in ratione infinita, consequenter reperiretur jam inæqualitas in ratione infiniti. Vide plura infra Num. 63.

DICES primò cum Arriaga, ponatur lineæ à puncto A. incipiens versus orientem, & procurrens in infinitum, versus occidentem, præscindat DEUS medietatem illius lineæ in puncto B. hæc medietas esset infinita, quia aliàs infinitum constaret duobus finitis, adeoque & ipsum non esset infinitum, & tamen eo casu infinitum clauderetur duobus terminis.

RESPONDETUR, illam medietatem & fore infinitam, ut probat Arriaga, & fore finitam, quia haberet transitum consummabilem, si haberet terminos propter rationes immediate adlatas. Dicerent alii, etiam si sit possibilis talis lineæ, nullam tamen in illa dari medietatem, quia medietas, est proprietas non nisi rerum finitarum.

DICES secundò, inter hominem & plantam possunt interjici infinitæ species, quæ nec descendunt infra plantam, nec ascendant ultra hominem. Ergo potest infinitum claudi duobus terminis.

RESPONDERI potest primò. Infinitum Syncategorematicum posse claudi duobus terminis.

CONTRA: quia si id universaliter enuntiatur, sequetur etiam æternitatem posse claudi terminis, cujus oppositum immediate ante probatum. Deinde sequetur in sententia Aristotelica, posse veniri ad ultimam partem rei in infinitum divisibilis, adeoque ne sit ulterius & ulterius divisibilis. *Hinc aliter*

RESPONDETUR secundò, possibile esse in infinito eoque Syncategorematico, terminos comparationis extrinsecæ, sed non esse possibiles terminos desitionis, quia semper & semper ulterius & ulterius procedere in infinito est. Casu autem quo ponerentur omnes possibiles species inter plantam & hominem, illæ & essent infinitæ & essent finitæ, finitæ quidem quia pertransibiles desitione factâ in ultimâ, infinitæ autem ut supponitur.

DICENDUM est secundò, etiam suppositâ possi-

biliter infiniti, nullum est fundamentum asserendi illud de facto dari.

PROBATUR conclusio principio negativo, quia quodcunque fundamentum adlatum fuerit, illud non erit sufficiens ad probandum intentum.

OBJICITUR primò, Infinitum & finitum sunt membra, in quæ dividitur quantitas, suntque contraria, quorum unoposito, ponitur & aliud, ad eum modum quoposito calore, ponitur frigus, sunt item proprietates quantitatis. Ergo datur de facto, quantitas infinita.

RESPONDETUR. Argumentum hoc multum probare, probat enim dari ens rationis, & impossibile, cum ens dividatur in ens possibile & impossibile, in ens reale & ens rationis, tunc ergo solum membra dividenda, vel contraria debent dari, quando eorum existentiam suadet, vel experientia sensu, ut suadet existentiam caloris & frigoris, vel quando eam demonstrat ratio, ut demonstrabat existente membro contrario quod est ens creatum, debere existere aliud contrarium nempe Ens increatum, hoc est DEUM. Infinitudo etiam non est nisi proprietas hypothetica quantitatis; infinitum enim si daretur spectaret ad prædicamentum quantitatis, hypothetica autem membra divisionis, non est necesse dari à parte rei.

OBJICITUR secundò, in qualibet quantitate sunt infinitæ partes. Ergo datur infinitum.

RESPONDETUR. Cum per nos sint partes non nisi potentia distinctæ, non facient aliud quam infinitum in potentia. In sententia autem tenentium partes infinitas actu distinctas, sequitur quidem infinitudo, ut supra probatum est, sed tamen illi eam negant, quia ad infinitum actu inquirunt necesse est dari terminos non communicantes infinitos, sicut ad tria, necesse est dari unitates, non communicantes tres.

OBJICITUR tertio, in homine tot sunt prædicata, ut etiam si infinitæ species infra illum crearentur, tamen homo esset perfectior.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multum probare. Probat enim hominem esse infinitum in essentia, quod nemo admittit. Dignitas autem illa humana non oritur ex infinitudine aliqua perfectionis, sed ex sola improportionem orta ex diversitate speciei. Deinde cum infra hominem non sint possibiles species nisi infinitæ Syncategorematicæ, hinc etiam in homine prædicata respondentia, deberent esse non infinita categorematicæ, sed syncategorematicæ, respondentiaque illa argueret non infinitatem, sed unitatem æquivalentem illis reliquis, haberetque se homo ita, sicut centrum sphaeræ, quod omnino est unum, licet plures lineæ, possint ad illud duci à circumferentia.

OBJICITUR quarto, Etiam naturaliter dari potest infinitum actu; quia si lapis molaris æqua-

æqualiter ab Angelo ad omnes partes vitri applicetur, omnes frangit adeoque faciet infinitas partes vitri.

RESPONDET primò, qui componunt quantitatem ex divisibilibus in infinitum, non fore illud dividendum in omnes partes, sed DEUM determinatarum in quot partes dividi debeat.

Hæc Responsio

NON SATISFACIT. Tum quia Responsio hæc, est evitatio difficultatis; determinationem enim idèò ponit ne cogatur negare, quòd ex in infinitum divisibilibus componatur quantitas; nolendo tamen concedere, quòd possit dari actus infinitum viribus naturæ; quomodo enim viribus naturæ non potest dari infinitum actus, si applicetur lapis de se potens contere quascunq; partes vitri, hoc ipso enim si aliquas non contereret, non esset potens ad quascunq; conteras partes, & tamen supponitur gravitas lapidis, major quàm quæcunq; resistentia vitri. Tum quia ponamus DEUM non determinare, ut hæc potius quàm illæ partes conterantur, sed velle præbere concursum, ut ille lapis agat quantum potest, certè tunc fieret divisio in omnes partes, quia quæ ratio divisionis est, aliquarum partium, eadem erit divisionis omnium; nempe excessus gravitatis reperibilis in lapide, supra vires resistivas vitri. Dicere autem, quòd non posita à DEO determinatione, nulla sit pars vitri constringenda, est evocatio DEI ad faciendum miraculum, solo titulo defendendæ propriæ sententiæ.

RESPONDETUR secundò. Posita illà applicatione virum dividendum secundum quod est divisibile, nempe usque in minima Physica, ad quarum divisionem nò pertingit lapis, quia non potest lapis agere in vitrum, ita, ut spoliaret illud omni quantitate, quam requirit pro conditione, in ipso met subjecto comminuendo.

OBJICITUR quintò, defacto admittitur à Theologis infinitudo in unione hypostatica, valore operum Christi; itemque in ratione offensæ mortalis.

RESPONDETUR. Horum infinitudinem defumi ab aliquo increato, quando autem per nos negatur infinitum actuale, negatur infinitudo defumibilis ab aliquo creato.

QUÆSTIO II.

De Infinito Categorematico.

VIdimus superiori quæstione non dari actum ullum infinitum Categorematicum creatum. Restat discurre de possibilitate ejusdem. Impossibilitatem ejus agnoscit S. Thom. 1. par. Q. 97. a. 3. & 4. Scot. Suar. uterque contra Vasq. Fallol. Hur. Arriag. sed Ovied. negat ejus possibilitatem in extensione & mole non penetrata, in reliquis autem agnoscit possibilitatē, Vasq. autem in intensione possibile infinitum non agnoscit, sic

DIFFICULTAS I.

De possibilitate infiniti categorematici creati in communi.

DICENDUM est: *Non esse possibile infinitum Categorematicum creatum.*

PROBATUR primò. Posito quocunq; infinito, illud & esset infinitum & non esset infinitum: esset infinitum, ut supponitur, non esset autem infinitum, ut probatur. Quod sublata unicâ entitate mutatur in ratione infiniti, illud non est infinitum, sed posito quocunq; infinito, illud sublata unicâ entitate mutatur in ratione infiniti. Ergo posito quocunq; infinitum, non est infinitum. Major probatur definitione infiniti, quæ deposcit ex infinito semper accipi, & nunquam idem. Et certè si demptione infiniti definit esse infinitum, etiam positione illius non erit infinitum; nihil enim infinitatur, additione finiti. Minor principalis probatur. Posito quocunq; infinito & sublata unicâ entitate, illud infinitum non habet omnem possibilem perfectionem in illo genere, certè enim illa sublata unitas, est aliqua perfectio, quâ tamen utpotè sublata, caret. Ergo sublata unicâ entitate definit esse infinitum. Consequentia immediatè probatur; Infinitum in omni genere requirit omnem possibilem perfectionem in omni genere. Ergo & infinitum in certo genere requirit omnem possibilem perfectionem in illo genere.

RESPONDEBIS primò. Quod sublata unica entitas illa sit eminenter continenda in residuo infinito.

CONTRA, tum quia in 10. si illi tollas unitatem, eminenter non continetur unum; neq; jam 10. sed 9. erit. Ergo etiam sublata unica entitate in infinito, non continebitur illa in residuo eminenter; quid enim eminentiæ tribuit infinitas, ad continendum id quod non est. Tum quia nò est explicabilis hæc continentia eminentialis, ut valeat ad propositum. Tum quia si tollas à DEO unam perfectionem, residuæ perfectiones non censentur eminenter continere priorem. Ergo nec creatum infinitum, sublata aliqua perfectionem, eminenter continebit.

RESPONDEBIS secundò. Infinitum in omni genere perfectionis est solus DEUS, omnes suas perfectiones identificatas reali & habens, hinc fit ut sublata unicâ entitate, tota Deitas definat, sed infinitum creatum, non habet perfectiones identificatas omnes, hinc unicâ entitate sublata, non erit necesse auferri infinitum.

CONTRA. Tum quia infinitum in omni genere, requirit perfectiones omnes in omni genere, quantūvis identificatas uni eidēq; entitati. Ergo etiam infinitum in aliquo genere, requirit omnem possibilem perfectionem in illo genere, quamvis sine identificatione; non est enim major ratio uniū, quàm alterius: quo posito

redit

redit argumentum : quòd scilicet illud infinitum sublatà unicà entitate sit desitutum. Tum quia etiamsi per impossibile DEO non essent identificatæ suæ perfectiones, si tamen esset infinitus in omni genere, deberet habere omnem possibilem perfectionem in omni genere. Ergo quamvis alicui infinito, non sint identificata sua prædicata, quia tamen esset infinitum in illo genere, deberet habere omnem possibilem perfectionem, in illo genere.

RESPONDEBIS tertio. DEUS est infinitus, in perfectione, & tamen ejus infinitudini non obstat, quamvis ablata suâ unicà perfectione, desineret esse DEUS, adeoq; infinitas.

CONTRA. Quia id oritur ex identificatione, unius perfectionis cum reliquis, hinc unâ ablata, omnes auferuntur, non ponitur autem hîc talis identificatio, & aliâ surget definitio: Quia infinitum debet habere transitum in consummabilem. Rursus perfectiones Divinæ non sunt numeraliter actu infinitæ, sine inclusione unius in altera, & si essent numeraliter actu infinitæ, unaque non includeret aliam, adeoque & reliquas, hinc ablata in eâ suppositione unâ perfectione, adhuc manerent infinitæ perfectiones, aliâs haberent transitum consummabilem, ablatione unius Entitatis, consequenter nec essent cum illa una addita perfectione infinitæ. Licet ratio Deitatis sine hac, quantumvis una ablata perfectione, salvari non possit, sicut nec salvatur ratio omnis perfectionis, cui contradictoriè opponitur, negatio alicujus perfectionis.

Hic ipse principalis medius terminus, sic alter proponitur.

Ponat DEUS per possibile vel impossibile omne possibile infinitum, & ex singulis infinitis tollat unicam entitatem, quam appellemus A. ex omni possibili infinito sublata unica entitas A, conficiet infinitum, nam ex infinitis infinito accepta sigillatim unica entitas, non potest non facere infinitum, appellemusque illud infinitum B, quo posito si quæro: Illud omne possibile infinitum vel mutatur sublatione sigillatim entitatis A, vel non mutatur: Si mutatur: Ergo etiam unum infinitum, sublata unicà entitate mutabitur, si autem non mutetur, ita argui potest. Conserver DEUS infinitum A, & annihilat omne possibile infinitum, tunc illo annihilato verum est dicere: Est annihilatum omne possibile infinitum, quia illud supponitur non immutatum intrinsicè ablatione unius entitatis; sicut ergo si ante ablationem illius entitatis fuisset annihilatum, verum fuisset, dicere: Est annihilatum omne possibile infinitum; ita & nunc, cum supponatur immutatum non esse illud infinitum; & tamen non potest dici, esset tunc annihilatum omne possibile infinitum. Quod ipsum probatur, post annihilatum omne possibile infinitum non potest manere aliquid infinitum, impossibile enim manere non potest, & extra omne

possibile, nihil est nisi impossibile. Quibus positis sequitur illatio. Ergo etiam sublata unicà entitate ex uno infinito, mutabitur intrinsicè infinitum. Ergo & antea non fuit infinitum. Formatur ergo argumentum: Infinitum in omni genere, requirit omnem possibilem perfectionem, in omni genere; infinitum item omne possibile, requirit omnem possibilem perfectionem, in omni possibili genere. Ergo & infinitum in certo genere, requirit omnem possibilem perfectionem in illo genere.

Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur.

Ponat DEUS decies infinitum; ex singulis, decadibus, tollatur unica entitas, & collocetur in oriente, ex illis sublatiis entitatibus, conficietur unum infinitum; tunc quæro: sublata unicà entitate ex singulis decadibus, decies infinitum, vel mutatur intrinsicè, vel non mutatur: Si mutatur, Ergo sublata unicà entitate mutabitur etiam semel infinitum; Si autem non mutatur decies infinitum, tunc quæro annihiletur illud decies infinitum, vel erit verum dicere decies infinitum est annihilatum, vel non erit verum dicere: Si erit verum dicere, Ergo potest manere decem, quamvis auferatur unum; Si autem non est verum dicere: Ergo apparet illic non fuisse nisi novies infinitum, consequenter ablatione illâ mutatum fuisse, Ergo & quodcunque infinitum ablatione unius entitatis mutabitur.

RESPONDEBIS primò. Sublatâ ex singulis entitate unicâ, totam collectionem mutari, sed non mutari singula infinita.

CONTRA. Tum quia collectio illorum infinitorum, non est quid distinctum realiter, ab illis sigillatim acceptis. Ergo si collectio illa mutatur, mutabuntur etiam singula infinita. Tum quia sublata unicà entitate ex infinito, mutabitur intrinsicè tota collectio. Ergo mutabitur intrinsicè etiam infinitum. Tum quia, decies infinitum, debet habere omnem possibilem perfectionem, in genere decies infiniti, in indivisibili enim, sicut decem, ita & decies infinitum consistit. Ergo etiam semel infinitum, debet habere omnem possibilem imperfectionem in illo genere. Ergo illâ sublata, non tantum collectio mutabitur, sed & infinitudo.

RESPONDEBIS secundò. Di paritatem esse, quia si ex decies infinito sigillatim acceptâ unicâ entitate, non mutaretur decies infinitum; & maneret decies infinitum, & non maneret autem, quia non plus haberet, quàm novies infinitatem. Item si ex omni possibili infinito acciperetur Unica entitas, & non mutaretur omne possibile infinitum, & esset ut supponitur omne possibile infinitum, & non esset; quia Ly Omne non est, quando Ly Aliquid deest. Nullum autem tale absurdum sequitur, si dematur unica entitas ex aliquo infinito.

CON-

CONTRA. Decies infinitum requirit omnem possibilem perfectionem decies infiniti: Ergo & quodcunque infinitum requirit omnem possibilem perfectionem illius generis. Ergo sicut ex exigentia omnis possibilis perfectionis, decies infiniti, sequitur, si non mutetur illud infinitum, & fore decies infinitum, & non fore, ita ex exigentia omnis possibilis perfectionis illius generis, in illo certo infinito, sequitur, si ablata unicâ entitate non mutetur & fore illud infinitum & non fore. Rursus infinitum in omni possibili genere requirit omnem possibilem perfectionem in illo genere, sequiturque quod si ablata unicâ entitate non mutaretur, quod & esset omne possibile infinitum & non esset. Ergo etiam & infinitum in aliquo genere, requirit omnem possibilem perfectionem in illo genere, illâque demptâ, sequetur & fore infinitum & non fore.

RESPONDEBIS tertio. Sublato unico infinito, semper mutari infinitum, sed sublata unicâ entitate, non est necesse illud mutari, quia unica entitas, non est infinitum.

CONTRA. Tum quia sublato uno infinito, semper mutatur infinitum in ratione infiniti: Ergo & sublata entitate finitâ, mutabitur infinitum in ratione habentis omnem possibilem perfectionem illius generis. Cum eam perfectionem, ad salvandam rationem infiniti, teneatur habere: Redit enim argumentum. Infinitum in omni genere, debet habere omnem possibilem perfectionem in omni genere. Tum quia quæ est proportio unius ad unum infinitum, ea est proportio unius infiniti ad infinities infinitum, sed infinities infinitum, sublato unico infinito mutatur. Ergo & semel infinitum, sublata unicâ entitate mutabitur. Major probatur: quia sicut unica entitas, infinitè multiplicata constituit unum infinitum, ita infinitum semel, infinities multiplicatum, constituit, infinitum infinities. Ergo quæ est proportio unius ad unum infinitum, ea est proportio unius infiniti, ad infinities infinitum. Tum quia ut inferius ostendetur, infinitum habet infinitam medietatem. Rursus medietas, infinitum dimidium, Rursus infinitum dimidium, infinitam dimidietatem & sic in infinitum. Ergo etiam sublato uno infinito, non deberet mutari infinities infinitum, quæ enim est proportio unius ad unum infinitum, ea est proportio unius infiniti ad infinities infinitum. Sicut enim infinitum infinitè multiplicatum, constituit infinities infinitum, ita unitas infinities multiplicata, constituit infinitum, in ratione infiniti multiplicatum. Ergo si sublato uno infinito, mutatur infinities infinitum, etiam sublata unicâ entitate mutabitur.

Continuatur Intentum.

PROBATUR secundò, vel DEUS potest ponere unum infinitum, vel non potest: si non potest, cur non convinceturq; non posse ponere et-

iam plura, quia plura nō aliud sunt, quàm unū & unum, seu unum nō uniter positum; & sicut, qui non potest pronuntiare A, non potest pronuntiare AB, quia A: est inchoatio AB, ita qui non potest producere unum infinitum, nec potest producere plura infinita. Quod si potest DEUS ponere unum infinitum, quæro: medietas illius vel est infinita, vel non est infinita: si medietas illius non est infinita: Ergo nec illud esset infinitum, quia compositum ex duobus infinitis, non potest esse nisi infinitum. Quod si medietas illius infiniti est infinita. Ergo illud infinitum, & est unum infinitum & non est, est ut dicis, non est autem quia constat duobus infinitis, constat enim duabus medietatibus, quarum singulas, dicis esse infinitas. Rursus hæc ipsa medietatis medietas, vel est adhuc infinita vel finita: si est infinita, Ergo jam illud infinitum & est unum, ut supponitur, & plura, ut probatum est. Quod si medietas illius medietatis est finita. Ergo ut medietas illa prima est finita, utpote illi æqualis, consequenter non infinita, quia conflatum ex duobus finitis non potest esse, nisi finitū.

RESPONDEBIS. Infinitum non habere medietatem.

CONTRA. Tum quia omne extensum & in indivisibili non consistens habet partes minores se. Ergo habere poterit & medietatem. Tum quia omne finitum, habet medietatem sibi proportionatam, Ergo & infinitum, & si quaratur, cur infinitum non habeat medietatem, non alia reddetur ratio, quàm ut devitetur, adlatum argumentum. Bene enim negari potest, quod habere medietatem sit proprietas alicujus finiti. Tum quia sint duæ lineæ quarum una ab hac parte A, sit finita procedatq; in infinitum versùs orientem, sit alia quæ ab eodem puncto A procedat versùs occidentem æqualis illi in infinitate, conjungantur illæ lineæ, certè una, erit medietas illius totius lineæ, ex duabus conflata. Ergo apparet, quod infinitum non excludat medietatem.

CONFIRMATUR primò. Illud quod in sui esse constitutione, involvit processum infinitum in principiis componentibus, impossibile est poni à parte rei. Tum quia, si daretur processus in infinitum in causis efficientibus, nihil unquam fieret, ut deduci potest ex demonstratione impossibilitatis processûs in infinitum in causis efficientibus. Ergo etiam si detur processus in infinitum in causis constituentibus, nihil unquam fieret. Tum quia, si id quod involvit processum in infinitum in causis constituentibus suum esse, posset fieri, posset etiam tota æternitas à parte post simul poni, adeoq; finiri & transiri. Tum quia in cujus principiis constituentibus est processus in infinitum, in illius etiam existentia est processus in infinitum, cetè enim existentia indistinguitur à principiis constituentibus in actu positis, sed in cujus existentia, est processus in in-

† dd fini-

finium, illius existentia, non est, sed erit, & erit, & erit. Ergo id, in cuius principiis constituentibus est processus in infinitum, non est, sed erit, & erit, & erit, neque de illo verum erit dicere, existit sed existet. Unde etiam quia in sententia Aristotelis, est processus in infinitum in divisibilitate continui, nunquam potest divisio tota, simul poni: Sed esse unius cuiusque infiniti, exigit processum in infinitum, in principiis constituentibus suum esse, quod ipsum probatur: Medietas infiniti necessario debet esse infinita, ut supra dixi; ipsius etiam medietatis dimidium, debet esse infinitum propter illud principium: quod compositum ex duobus finitis, non possit esse infinitum, & sic procedetur in infinitum.

RESPONDE BIS PRIMÒ. Id quod involvit processum in infinitum, si semel ponatur totus ille processus, bene poni potest à parte rei.

CONTRA: Tum quia jam nihil obesset, poni processum in infinitum in causis efficientibus, si simul illæ, supponantur operari; & tamen supponitur non posse simul operari, si detur in illis processus in infinitum. Tum quia vi hujus Responsionis, sequitur æternitatem à parte post, posse poni simul totam. Tum quia hoc ipso, quia aliquid dicit processum in infinitum, non potest poni totum simul, sicut enim successio essentialis, excludit simultatem: processus in infinitum in partibus dividendis proportionalibus, excludit positionem simultaneam omnium; ita simultatem positionis, excludit processus in infinitum.

RESPONDE BIS SECUNDÒ, æternitas à parte ante est posita, & tamen in illa datur processus in infinitum, datur item in probabili sententia processus in infinitum in divisibilitate continui, & tamen ponitur totum simul illud divisibile.

CONTRA. Tum quia æternitas à parte ante non est posita tota simul, idque ex eo quia involvit processum in infinitum in principiis suum esse constituentibus. Ergo etiam infinitum categorematicum, cum habeat processum in infinitum in principiis se constituentibus, non potest poni totum simul. Tum quia accuratius rem examinando æternitas à parte ante non dicit processum in infinitum, quia processus dicit terminum à quo, & quia æternitas à parte ante, non habuit terminum à quo à parte ante, æternitas à parte ante non habuit processum in infinitum: si non habuit processum in infinitum, neque habuit impedimentum positionis suæ æternæ. Rursus processus in infinitum, est versus illam partem ubi non definit, esset enim aliàs processus in definitam, non in infinitatem, consequenter etiam infinitas æternitatis à parte ante, non est in definitione quæ est hodie v. g. sed in illo infinito in ante. Ergo ab æterno non habebat processum in infinitum, in quod enim infinitum? consequenter non habuit impedimentum quo minus poneretur, quia positio illius, non dicebat proces-

sum in infinitum, in principiis se constituentibus. Quia autem incipiendo ab hodiè usque ad æternitatem à parte ante, datur processus in infinitum, idè hodiè v. g. æternitas à parte ante, poni non potest. Tum quia illud quod adferebatur de divisibilitate continui ad præsens non facit. Nam sicut quia datur processus in infinitum in divisibilitate, nunquam divisibilitas continui tota simul poni potest. Et si continuum, non solum in divisibilitate, sed & in principiis se constituentibus diceret æquè processum in infinitum, nunquam etiam poni posset; ita cum infinitum in principiis se constituentibus, dicat processum in infinitum, nunquam poni poterit. Deinde processus ille partium in infinitum divisibilium, est identificatus alicui finito, partibus nempe non communicantibus, idè adhuc bene poni poterit; jam autem medietas infiniti, nulli finito identificatur, idè retinet infinitum, merum processum in infinitum, in principiis se constituentibus.

CONFIRMATUR SECUNDÒ. Impossibile est, Totum, esse minus se, sed si daretur infinitum, Totum daretur minus se. Ergo non est possibile infinitum. Minor probatur. Si daretur infinitum, parti infiniti, v. g. medietati itidem infinitæ, adeoque carenti terminis, æquale esset totum infinitum, & tamen medietas, minor est toto. Ergo totum, æquale illi parti, esset minus se.

PROBATUR TERTIÒ. Assumendo principium ab oppositis concessum. Quod unum infinitum non possit esse majus altero in ratione formali, ex quo sic arguitur. Impossibile est infinitum creatum majus altero in ratione formali; possibile etiam esset unum infinitum majus altero in ratione formali. Ergo impossibile est infinitum. Secunda pars antecedentis probatur. Possibile est infinitum majus altero in ratione materiali: Ergo possibile est infinitum majus altero, in ratione formali. Probatur consequentia. Ratio formalis infiniti, non est quidquam re distinctum à ratione materiali. Ergo si potest esse unum, majus infinitum altero, in ratione materiali; poterit esse majus altero, etiam in ratione formali; quando enim aliqua sunt idem realiter, tunc quidquid uni competit, pro statu reali, debet & alteri in eodem sensu & statu reali competere.

RESPONDE BIS. Decem ulnæ & decem palmi, sunt in ratione materiali inæquales, & tamen in ratione decadis, sunt æquales.

CONTRA. Tum quia 5, non est formaliter æquale ad 10. demus ergo quod illi 10. palmi æquivalent 5, ulnis, certè 10. illæ ulnæ non poterunt dici æquales formaliter 5, ulnis, consequenter nec dici debent æquales formaliter decem palmis. Tum quia illa æqualitas decadis ulnarum, & decadis palmorum non est nisi æqualitas per rationem abstrahentem rationem communem decadis, in re autem est inæqualitas, convenientiaque in decem, est convenientia cum magna discon-

disconvenientia. Ergo & illorum infinitorum in re erit inæqualitas, & tamen est intentum oppositorum, ponere in re æqualitatem infinitorum. Tum quia nihil est aliud unum formaliter esse majus altero, quam habendo id quod correspondeat minori, habere ultra aliquid, cui in minori nihil respondeat; jam autem in infinito majori materialiter reperitur hoc, cui nihil respondere possit in minori infinito, adeoque ex Materiali inæqualitate, sequetur inæqualitas Formalis.

DIFFICULTAS II.

De possibilitate infinitorum in particulari.

PRÆTER probationes superius adlatas, reperiuntur principia in particulari, certas species infiniti impugnantia, quæ hic adferre & tueri erit necesse.

Punctum Difficultatis 1.

An infinitum in extensione & mole sit possibile.

DICENDUM est primò. *Infinitum in extensione non esse possibile.*

PROBATUR primò communiter. Detur linea utraq; parte infinita, proscindat & annihilat DEUS unum palmum adducat partes, hiatu illo intercepto distantes, vel deserunt locum partes infiniti vel non deserunt: si non deserunt, Ergo non occupant spatium, quod supponitur relictum à parte præcisâ vel annihilatâ, vel certè eadem bilocantur retinendo priorem locum, & novum acquirendo: si autem partes infiniti, ut repleant hiatum illum, deserunt priorem locum, Ergo illud infinitum & erit infinitum, & non erit: erit quidem, ut supponitur, non erit autem, quia erit clausum duobus terminis, ortis ex desertione loci antea occupati.

RESPONDET primò Arriag. non esse absurdum quòd infinitum claudatur duobus terminis.

CONTRA præter dicta supra. Tum quia si infinitum, potest habere terminos, sequitur posse infinitum habere plures terminos quam habeat res finita, & non posset habere plures terminos, non posse quidem, quia quod est majus, pauciores debet habere terminos; Det quòd habeat plures negationes ulterioris extensionis non habeat majorem extensionem. Ergo cum infinitum sit majus præ finito, non potest habere plures negationes ulterioris extensionis seu terminos. Unde etiam semiulna, quia est minor, illic admittit terminos, ubi eos non admittit ulna. Posset etiam habere plures terminos, quia præter terminos finitis longitudinibus apponibiles, patitur terminos in infinitate, rursus in medietate infiniti (quæ ex dictis supra debet esse infinita)

patitur terminos. Rursus in medietatis ipsius dimidio, quod item debet esse infinitum, potest pati terminos. Ergo potest pati plures terminos, quam res finita. Tum quia, si unum infinitum semel possit habere terminos, non est ratio, cur non & aliud, dicamq; etiam Divinam essentiam, habere terminos perfectionis, vel si id negas de Divina essentia, dicam posse dari infinitam creatam essentiam, quæ tamen claudatur terminis ne scilicet æquet dignitatem essentiae Divinæ, & tamen sit in ratione essentiae infinita. Tum quia fines infinitare, limites illimitare non possunt. Ergo nec termini stare possunt cum infinitudine, & tamen illi fines vel maximè & completivè illimitare, & infinitare deberent, sicut unitates, ad decadem evehit, ultimò complens, unitas. Tum quia illud infinitum clausum terminis, & haberet quia infinitum est, negationem ejus rationis quæ constituit finitudinem, & non haberet negationem ejus rationis, haberet quidem ut supponitur, hoc ipso enim finitum esset, si non negaret, sed importaret rationem, quæ constituit finitudinem; & non haberet negationem ejus rationis, quæ constituit finitudinem, quia ratio constitutiva finiti est terminus, hinc in medio extensionis non est finis formaliter, quia in medio non est terminus formaliter. Et certè, si quantum semper ita procederet ac in medio, quantum nunquam esse finitum. Ergo ratio finiti, formaliter constituitur termino. Tum quia partes interceptæ inter terminos infiniti, non habentes transitum consummabilem, sunt partes infinitæ, partes infinitæ sunt idem quod partes sine fine, partes autem sine fine, sunt partes sine termino. Ergo à primo ad ultimum partes non habentes transitum consummabilem sunt partes sine termino.

RESPONDET secundò Hurtad: Non posse spatium illud occupari nisi per rarefactionem vel productionem aliarum partium.

CONTRA, supponamus per impossibile nec reproduci partes, nec rarefieri, certè debebit jam concedi claudendum tunc infinitum duobus terminis. Ergo apparet & ante fuisse clausum, neque enim tunc primùm fierent illi termini. Rursus quomodo illa infinita est longitudo, quæ finitum spatium replere non potest.

RESPONDET tertio. Posse quidem illud spatium repleti à partibus infiniti in locum illū succedentibus, caterum linea infinita, nondum deseret aliquod spatium nisi finitum; & quia si deberet claudi terminis, desereret spatium infinitum, sit ut adhuc illa linea, non sit claudenda terminis; desertioque illa spatii infiniti, clausaque terminis, desumeretur ex sola imaginatione, versante circa finitam lineam, deserentem priores terminos, si novos aliquos acquirere debeat.

CONTRA. Tum quia & desereret spatium infinitum, si deberet claudi terminis & non desereret, desereret ut supponitur, non desereret autem,

tem, quia non plus spatii antiqui deferetur, quam occupetur novi novum autem occupatum spatium, non est nisi finitum. Tum quia si contingat id in linea finita, deferere illa debet priores terminos. Ergo idem dicendum de linea infinita. Tum quia etiam in linea infinita, sine bilocatione, non potest repleri illud spatium, nisi acquisitis novis totaliter presentis. Ergo cum illuc non sit ponenda bilocatio, debet concedi acquisitio novarum presentiarum, adeoque & terminorum in extremis, (ut ita dicam) infinitae lineae, quae extrema poni debere, evincit argumentum factum. Querereque restat cum partes infiniti non fuerint penetratae, modo etiam non bilocentur, unde hoc illis erit, ut possint illud spatium replere.

Idem medius terminus sic aliter proponitur.

Ponantur versus orientem infinitae tres lineae, una incipiat à puncto A & altera à puncto B tertia, à puncto C. Ponantur rursus hae distantiae, ita, ut à puncto A, praecedatur punctum B, centum palmis; & à puncto B, praecedatur item punctum C, centum palmis. Ponamus item promoveri à DEO lineam C, versus A, ita ut ab A, distet non nisi quinquaginta palmis, à puncto autem B, procedens linea maneat immota. His positis formatur argumentum, linea C, & erit infinita ut supponitur, & non erit infinita, quia clausa duobus terminis scilicet uno quod à puncto A, distat spatio 50. palmorum, & altero termino quem acquisivit in illa promotione sui, quem terminum appellemus. Ideò istò I. quæro: an à linea B, immota & carente termino versus Orientem, secundum illum ductum, distat ne spatio infinito an finito; si infinito, Ergo non supponitur esse tantum centum 50. palmis promotum versus occidentem; Si finito. Ergo inter id quod habet terminum, & inter id quod non habet terminum, potest esse distantia non nisi finita.

PROBATUR secundò communiter. Ducatur ex puncto A, linea infinita, & ex eodem puncto alia, ex duabusque lineis efficiatur pyramis, illa lineae quò magis extendentur eò magis distabunt. Ergo extensae in infinitum distabunt infinite, & tamen non distabunt infinite, quia distantia illa clausa erit duobus punctis.

RESPONDET primò Pontius retorquendo argumentum. Contra Divinam cognitionem cognoscentem distantiam duarum illarum linearum, si enim cognitio Divina non obstantibus terminis, videt illas infinitas, cur negabitur posse lineas, infinitas, claudi terminis?

CONTRA, quia cognitio Divina nunquam cognoscit illas lineas tanquam possibiles, sed cognitio illi de linea est talis: Cognosco omnes partes, quas potest habere successive illa linea, ita ut nulla sit à me incognita, quidquid tamen illius actu ponitur, finitum erit, consequenter

DEUS non cognoscit infinitum clausum terminis quod tu concedis de tuo.

Neg. valet, si dicas, cum eodem, si daretur circulus infinitus, inciperet ab eodem puncto & defineret: ita etiam non est inconveniens, duarum illarum linearum distantiam, claudi terminis, sufficitque ad infinitum ut habeat partes determinatas, quae non possunt reduci ad numerum determinatum; non inquam valet: nam ex hoc ipso arguitur impossibilitas circuli infiniti, quia scilicet etiam ille admitteret terminos, nec poterit illud infinitum habere partes determinatas, quae tamen non possunt ad certum numerum redigi, si admittatur clausura per terminos.

RESPONDEBIS secundò, illas lineas neque distare finitè, neque infinitè, quia distantia est passio finitorum.

CONTRA. Hoc ipsum erat probandum quod distantia sit passio finitorum, si enim extensio per te datur infinito, cur non distantia, & si finitudo trahit secum distantiam finitam: Ergo & infinitudo, trahet secum distantiam infinitam.

RESPONDEBIS tertio ex Ovied: Pyramidem infinitam esse impossibilem, quia de ratione pyramidis est habere terminos quos infinitum non admittit.

CONTRA. Quia supposita possibilitate lineae infinitae, & erit impossibilis pyramis infinita, & non erit, erit quidem ut supponitur, non erit autem quia supposita possibilitate lineae infinitae, cur non poterunt illae pyramidem componere? ostendeturque in hoc implicantia, sed quae ipsam etiam impossibilitatem lineae infinitae, arguet.

PROBATUR tertio communiter, quae etiam implicantia utitur recentior Suar. Si extensio infinita esset possibilis, possibilis etiam esset linea infinita versus orientem ducta; sed non est possibilis, quod probatur: Constat enim infinitis palmis, uno albo, & alio nigro, demus rursus, conservatis albis, annihilari nigros, relictis spatiis quae nigri occupabant, tunc quæro, an palmi albi residui occupent idem spatium vel non: si non occupant idem spatium, Ergo non sunt infiniti, sed neque annihilati, nigri erunt infiniti, non enim erunt plures albis. Ergo neque tota linea fuit infinita. Hoc argumentum desiderat probationem huius propositionis, quod residuum illud palmorum alborum non occuparet spatium infinitum, quamvis non occupet spatium nigrorum.

DICENDUM est secundò. *Infinitum in mole v. g. Corpus infinitum est impossibile.*

PROBATUR. Confinibile ad superius dicta imaginatione. Creatur à DEO infinitus aer, annihilat DEUS tantum aeris quantum respon-

det globo terræ, succedat aer vicinus ad replendum illud spatium, succedat inquam sine ulla replicatione, rarefactione &c. æqualiter ab oriente & occidente replendo illud spatium, quo casu posito, vel idem spatium cum iisdem terminis occupat ille aer, vel non idem? Si idem unde facta successio in locum annihilati aeris? si non idem: Ergo acquireret terminos, claudeturque illis, quod tamen repugnat infinito.

Hic idem medius terminus sic aliter proponitur.

Ponat DEUS lapides unius palmi infinitos, hi occupabunt spatium infinitum, ponat DEUS infinitum lapidum, ex quibus unusquisque æquivalet monti, opponat DEUS infinitum montium, infinito lapidum, tunc infinitum lapidum, & erit infinitum spatium occupans ut supponitur, & non erit infinitum spatium occupans, quia habebit terminos, in quantum scilicet infinitum lapidum, non extendetur eò, quod extenditur infinitum montium.

Hinc idem medius terminus pro utraq. conclusione valens sic proponitur.

Ponatur linea infinita, ponantur postea corpora infinita palmaria, vel sufficiat linea illa ut illis corporibus coextendatur vel non sufficiat? si non sufficiat: Ergo habebit transitum consummabilem, desitione illic habenda, ubi jam non poterit coextendi; si autem sufficit coextendi, creet DEUS corpora non nisi centum palmaria, poterit ne illic illa linea coextendi, vel non: si non poterit: Ergo erit transitum consummabilem habens; si poterit unde illi accrescet longitudo? ut cum æqualis olim fuerit infinitis palmaribus corporibus, nunc evadat æqualis & coextensibilis infinitis centum palmaribus corporibus.

Sed quid tenendum de doctrina Ovied: admittentis p. sibilitatem infinitudinis in extentione, & mole, modo ad sit penetratio?

CONTRA, hanc doctrinam faciunt universali-ter adlata contra possibilitatem infiniti, quia scilicet sublata unica parte ex penetrato illo, jam non esset infinitum residuum. Deinde infinita linea penetrata, vel potest coextendi spatio sibi proportionato, vel non potest: si potest, redeunt argumenta facta: si non potest quæro? vel habet seclusa penetratione totum id quod est sufficiens ad replendum spatium infinitum, vel non habet? si non habet, contra erit. Tum quia dicam etiam unum digitum penetratum, esse infinitum, quamvis non habeat sufficientiam ad implendum spatium infinitum. Tum quia sine ullo fundamento affingetur illi extensioni infinitudo; Quod si habet cætera sufficientia seclusa penetratione ad implendum spatium infinitum? Ergo poterit extendi per spatium infinitum, nisi miraculo penetrationis impediat. Ergo habet potentiam ut de se, secluso miraculo penetrationis, faciat impossi-

bile, quia tu dicis extensionem illam impossibilem.

Punctum Difficultatis 2.

An sit possibile infinitum Categorematicum in numero?

DICENDUM est, *Non esse possibile infinitum in numero* v.g. non sunt possibiles infiniti homines, infiniti Angeli &c.

PROBATUR primò argumento superius facto contra possibilitatem infiniti Categorematici mutandi ablatione v.g. vel unius hominis.

PROBATUR secundo communiter. Creet DEUS infinitos homines singulos cum suis annulis, projiciant suos annulos in cumulum: vel possunt singuli ex illo cumulo accipere 100. annulos, vel non possunt? si possunt? pone quod accipant singuli 99. tunc ita argumentum fiat: antequam projecissent illos annulos singuli homines, habebant non nisi singulos. Ergo & tunc habebunt singulos, unde enim accrevissent? Ergo & acceperunt, & non acceperunt 99. annulos. Si autem singuli non possunt ex infinito annulorum accipere 100. annulos: Ergo habetur in illo infinito transitus consummabilis annulorum, consummatione facta tunc, cum desunt accipiendi à residuo infinitorum hominum. Deinde cum in illo cumulo annulorum sint centenarii infiniti, Ergo & acceptibiles ab infinitis hominibus. Sed quærare restabit unde creverit ille numerus annulorum?

RESPONDET Ovied. quod ex illo cumulo annulorum, acciperent infiniti centenuarios annulorum, sed n. n acciperet omnes neque est absurdum dicere, quod cum infiniti accipiunt ex cumulo infinito, exhauriatur infinitum, ita ut reliquis, non sit residuum quidquam, quod accipiat. Sed esset absurdum, si cumulus ille exhauriretur per finitos accipientes; dicitque ulterius multitudinem hominum qui haberent singulos annulos, esse minorem multitudine infinita, habentium singillatim centum annulos, non enim repugnat unum infinitum, majus altero.

CONTRA. Supponamus quod ex cumulo illo annulorum, sit primus accipiens A, qui ita accipiat 100. ut etiam alteri porrigat alios 100. annulos, ipse autem à nullo alio accipiat, secundus autem sit qui accipiat à primo & simul porrigat, tertio: fiat autem hoc totum uno instanti, quod fieri potest, si fiat porrectio per actus voluntatis instantaneos, vel si id ab hominibus fieri non potest, fiat ab Angelis: eo casu, & erunt infiniti accipientes & non erunt: erunt ut supponitur; non erunt autem, quia totum illud infinitum erit clausum duobus terminis, hoc est primo, qui

† dd 3

à nul-

à nullo alio accepit 100. annulos, & inter ultimum, qui nemini alteri porrexit. Tunc quæro quando per illam infinitam multitudinem accipientium exhaustum est infinitum annulorum, vel nullus est illic, qui alteri non porrexerit, vel est aliquis, qui alteri non porrexerit: si est aliquis, qui alteri non porrexerit, Ergo datur illic ultimus qui acceperit & non porrexerit, & primus qui porrexit non accepit. Quod si nullus est qui & ipse non acceperit & alteri non porrexerit? Ergo & exhaustum est illud infinitum per infinitos, ut tu dicis accipientes, & non exhaustum, quia exhaustum non potest, nisi desit quod accipiat tradendum alteri, tu autem dicis semper restare tradendum alteri.

Quod autem attinet ad illud principium, nempe unum infinitum, potest esse majus altero.

CONTRA erit primum. Ponamus à DEO poni non nisi unum infinitum, & quia per te unum infinitum potest esse majus altero, ponamus esse secretos à DEO infinitos millenarios hominum, & secretos infinitos centenarios hominum, & tandem veniatur ad semel infinitum hominum, quod ipsum infinitum hominum constet hominibus, quorum singuli projiciant suos annulos in cumulum, & singuli accipiant non unum, sed centum annulos, ita ut unus accipiat & porrigat alteri, excepto uno, qui accipiat à nemine, & tamen porrigat; quæro an infinito illi toti hominum, sint sufficere illi annuli, ut singuli possint accipere centenarios, vel non sufficiunt: Si sufficiunt, redit argumentum factum, unde nam illa accretio facta. Quod si ille cumulus annulorum non sufficit, ut singuli illorum hominum infinitorum accipiant centenarios, quæro an qui acceperunt homines, sint infiniti, an finiti, si finiti; Ergo infinitum exhaustum potest per finitos accipientes: si infiniti. Ergo non stas in suppositione, scilicet infinitum illud fuisse semel infinitum, nam ex illo infinito facis bis v. g. infinitum, scilicet infinitum accipientium, & infinitum non accipientium. Quod si dicas, infinitum non posse dari quin constet saltim ex duabus infinitatibus, scilicet mediate utraque infinita, redibit argumentum, an cum projecerit illa collectio singulos annulos, possit accipere medietas modo descripto centenarios.

Quod si dicas infinitum quodcumque etiam minimum continere in se plura infinita, inquiram an unumquodque sit infinities infinitum, an finities, hoc est habens numerum finitum infinitorum, hoc est v. g. 100. vel 1000. infinita, si finities est infinitum, secernat DEUS mente unum infinitum, hoc est unies infinitum acceptum ex illis centies: illud unies infinitum non habet nisi semel infinitudinem, vel ad maximum conflatur ex duplici medietate infinita, de qua illa formeretur argumentum factum, de projectione unius annuli, acceptioneque annulorum 100. Quod si unumquodque infinitum est infinities infinitum, rogo

quomodo potest esse unum majus altero: nam sicut unum millenarium numeri numerantis, non est majus alio millenario numeri numerantis, alioqui hoc ipso non esset numerus millenarius, numeri enim in indivisibili consistunt; ita infinities infinitum, non est unum majus altero, & cum deficeret in infinitudine infinitatis, hoc ipso infinitudinis finitudinem haberet.

CONTRA secundò. Quia & esset alterum infinitum minus & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, ut probatur, appellemus infinitum minus infinitum Angelorum, & infinitum majus, sit infinitum hominum, supponamus ex infinito Angelorum assignari à DEO Custodem uni, de quo sit verum dicere non caret Angelo, & ante illum nemo prior illum habuit: assignet rursus aliis Angelos simul omnibus, quibus assignari potest, quo posito quæro: an sit devenire ad aliquem hominum, qui non habeat Angelum, vel non est devenire, si non est devenire, singuli ergo homines habent suos Angelos; Si singuli, quomodo infinitum Angelorum minus erit infinito hominum? Si autem est devenire ad homines, qui non habeant Angelos, Ergo illud infinitum hominum & erit infinitum, & non erit: erit ut supponitur, non erit autem, quia claudetur inter duos terminos primum, qui habuit Angelum, & alium, qui non habet, nomina illum hominem indeterminatum, ut volueris, sufficit intento argumenti, quod deveniatur ad aliquem vel aliquos, qui non habeant Angelum. Et sicut docet Oviedo: spatium quodcumque occupabile à mole corporum infinitorum, si daretur, non fore infinitum, quia potest illi supervenire spatium majus: ita etiam infinitum, quod non æquabitur alteri infinito, non erit infinitum, habebit enim illic terminum, quia ultra non adæquabitur, majori se infinito. Universaliter autem docet Oviedo, infinitum, non posse clauditerminis.

CONTRA tertio. Si daretur infinitum unum, majus altero, & esset majus & non esset, esset ut supponitur, probarique per hoc posset, quia si ponatur infinitum hominum certe infinitum capillorum majus erit, uni enim homini tot capilli, respondebunt, et si unitas infinities repetita facit unum infinitum, ergo & mille infinities repetita unitas, faciet etiam milles infinitum. Rursus si unum infinitum non esset majus altero, infinita pertica & funis spiraliter illi superpositus essent æqualia, cum tamen recta figura à spirali semper superetur, insuper si unum infinitum non esset majus altero, totum non esset majus sua parte v. g. nam centenarius infinitus esset æqualis millenario infinito, cum tamen centum, sit pars millenarii. Non posset autem unum infinitum esse majus altero, quia illud minus, hoc ipso non esset infinitum; quia haberet terminum illi, ubi excederetur ab alio.

PRO.

PROBATUR tertio. Designet Deus, omnibus diebus per æternitatem futuris, unum Angelum, ita, ut nullus sit dies, qui sibi correspondentem Angelum non habeat, & nullus Angelus, qui non habeat correspondentem sibi diem, quo posito; illi Angeli, & essent infiniti, ut supponitur; & non essent infiniti, ut probatur. Si enim essent infiniti; mutet Deus designationem, & eos Angelos, quos assignaverat diebus, assignet horis, vel illi Angeli sufficient, ut singulis horis, distincti assignari possint, vel non sufficient: si sufficient, Ergo cum tot supponantur Angeli esse, quot dies æternitatis, tot erunt horæ æternitatis, quot & dies, quod falsum est; si autem non sufficiunt Angeli, ut singulis horis æternitatis distinctus Angelus tribuatur. Ergo illi Angeli non sunt infiniti; quia multitudo illorum interciperetur duobus terminis; primo hoc est Angelo, qui primæ horæ assignaretur. Et ultimo, scilicet illâ horâ, quæ adhuc haberet suum Angelum, & reliquæ horæ, post illam sequentes, suum Angelum non haberent.

RESPONDET primò Ovid. horis interruptè & interpolatè acceptis, posse Deum, per totam æternitatem, distinctos Angelos assignare, sed non posse continuatè, & fluenter acceptis, computando unam, post aliam sequentem; & ita v. g. non potest primæ, secundæ, tertiæ horæ assignare suum Angelum distinctum, potest tamen assignare primæ, & postea v. g. decimæ, ita ut totâ æternitate, per diversas horas interpolatas, assignare possit suum Angelum.

CONTRA. Tum quia, vel tantum horis interpolatis, vel etiam diebus non nisi interpolatis, potest Deus assignare alium singulatim Angelum; si primum, non satisfiet argumento factò; quia dicere, quod horis non nisi interpolatis, per totam æternitatem, assignare possit Deus, distinctum Angelum, est dicere, Deum non posse singulis horis assignare Angelum; redibitque argumentum factum; Si autem dicatur secundum; hoc ipsum probandum veniret, reassumique poterit argumentum factum. Quod scilicet deberet illud infinitum claudi terminis: deberet esse unum majus altero, &c. Tum quia, vel pluribus horis, quam sint dies æternitatis, assignabuntur dicti Angeli, vel non pluribus, sed æqualibus; si pluribus, unde illud incrementum, cum supponantur non superfuisset Angeli plures, diebus æternitatis; si non pluribus. Ergo non respondes ad suppositionem argumenti, quod à diebus, ad horas, quæ sunt plures diebus, procedit. Tum quia, quod est verè infinitum, in quacunque suppositione, exhaustiri non potest, assignatione, vel acceptibilitate, si illa intra duos terminos consistat: termini enim finitudinem notant. Ergo si illud infinitum Angelorum, est verè infinitum, per horas non interruptè acceptas, interceptas tamen, inter pri-

mam & ultimam exhaustiri non posset, consequenter deberent sufficere Angeli dandi, horis totius æternitatis, non interpolatè acceptis: ubi enim deficeret dabilitas, illic esset terminus, adeoque finitudo. Tum quia, quamvis horis successive acceptis, non possit etiam successive Deus tribuere singulos annulos: non enim posset successive illam infinitatem pertransire, potest tamen simul, sicut simul illa cognoscit, & successive, non posset cognoscendo pertransire. Redit ergo Argumentum: an possit simul, sicut diebus, ita & horis, assignare singulos Angelos, idque ut dico simul.

RESPONDETUR secundò, retorquendo argumentum, & querendo; an positis omnibus possibilibus Angelis, qui assignarentur singulis diebus æternitatis, possent adhuc mutata designatione, assignari singulis horis.

CONTRA: Quia non est possibile, ut omnes Angeli ponantur: & erunt enim omnes possibile Angeli positi, ut supponitur, & non erunt: quia illis positus, vel implicabunt alii Angeli, vel non implicabunt. Si non implicabunt, Ergo non omnes sunt positi; Si implicabunt, Ergo contradictori erunt hi termini: Substantia Spiritus completa. Recolantur in simili, dicta supra, ex quibus, hoc etiam deduci potest, Quod Deus singulis horis æternitatis, singulos dies assignare possit. Quod sic proponitur. Suppono dies æternitatis omnes, simul non posse poni, à parte rei: Suppono secundò, illos à Deo cognoscis ita ut dicat: Nullus est dies, quem non cognosco, ita tamen illos cognosco, ut videam illos, nunquam finiri posse. Suppono tertio, Deum in assignatione dierum æternitatis, ad horas æternitatis, ita se habere, ut dicat, & hæc hora, & illa hora, habet suum diem proprium, ita tamen ut nunquam dierum, & horarum sit infinitudo terminata: sed sicut sunt dies infinitus infiniti, ita & hora, ita ut radix assignabilitatis, non sit multitudo horarum, major præ diebus in unaquaque die; indubiè enim plures sunt horæ, quam dies: Sed radix ista est Dei omnipotentia, & non implicantia contradictionis in essentia dierum. Jam autem assignabilitas Angelorum, ad dies æternitatis, non est, non implicantia contradictionis Angelorum, sed esse actuale à parte rei. Hinc etiam Angeli, secundum non implicantiam contradictionis spectati, tam diebus, quam horis æternitatis, assignari possent.

Punctum Difficultatis 3.

Quid de reliquis infinitum concernentibus?
DESCENDUM est primò. Non est possibile infinitum in intensione.

PROBATUR argumentum antè propositum. Creet Deus infinitos gradus caloris, tot quot sunt infiniti homines: vel potest Deus singulis illorum, 100. gradus assignare, vel non potest? Si

non potest: Ergo exhauriretur infinitum; Si potest, Ergo sunt plures infinito hominum. Modum defendendi hoc argumentum, vide supra positum.

RESPONDERI posset huic argumento, & quibuscunque aliis hactenus positis. Quod infinitum non implicet quidem contradictionem; demere tamen ex ipso aliquid, implicat contradictionem: & ita si accipiat aliquid ex linea infinite extensa, sequitur illam terminandam &c. si autem consideretur infinitum secundum se, nulla saltem in plerisque ostendi potest implicancia.

CONTRA erit: quia expresse Aristotelica definitio, permittit ipsam acceptionem: unde in definitione dicitur, cujus secundum quantitatem accipientibus, &c. &c. hinc negare istam acceptionem, est non stare in statu questionis. Ceterum posito, quod nova alia definitio infiniti formaretur, posset ex illa non sequi implicancia contradictionis.

DICENDUM est secundò. *Etiā posito, quod possibile esset infinitum creatum, adhuc impossibile esset poni omne possibile infinitum.*

PROBATUR primò. Posito omni possibili infinito, vel ponerentur omnes posibles finitæ creaturæ, vel non ponerentur? Si non ponerentur? Ergo & esset illud omne possibile infinitum, ut supponitur & non esset: quia adhuc producibile esset, præter producta infinita, aliquid infinitum, quia omne producibile infinitum, est infinities infinitum. Hinc productis finitis, quæ remanent producibilia, post productionem omnis possibile infiniti, sed infinities positus, consurgeret adhuc novum infinitum. Neq; enim v. g. infinitum multitudinis, est aliud, quam finitum infinities positum. Si autem posito omni possibili infinito, ponerentur omnes posibles finitæ etiam creaturæ: Ergo jam Deus non maneret omnipotens, quia nihil maneret producibile: nam omnipotentia Dei transcendentaliter requirit effectus.

RESPONDEBIS primò cum P. VENCESLAO DAROVSKI, meo in Theologia Professore, Viro omnium talentorum. Infinita persona Patris, non ita exhaurit terminabilitatem naturæ Divinæ infinitam, ut quamvis illam infinite terminet, adhuc illam non relinquat ulterius terminabilem per aliam personam infinitam, tam Filii, quam Spiritus Sancti. Rursus infinita Persona verbi, terminans naturam Divinam, non exhauritur, quominus possit terminare aliam naturam creatam, & alias plures: Scientia item Divina non exhauritur, quamvis cognoscat omne possibile; & sicut omniscientia in actum reducta, non facit Deum, non esse Deum, ita nec faciet omnipotentia in actum reducta.

CONTRA: Tum quia, ab instantia, ex adlaris prima, desumi potest, pro conclusione argumentum. Tres Personæ Divinæ, infinitam termina-

bilitàtem naturæ Divinæ ita exhauriunt, ut à quarta Persona terminabilis non sit, nisi per solam chimæram, & fictionem intellectus. Ergo etiam omne producibile infinitum in actu positum, ita exhauriet omnipotentiam infinitam, ut ulterius nihil producere possit: Quod autem Persona Patris, non reddat ulterius interminabilem naturam Divinam, secundum se spectatam, hoc inde est: quia terminativitas Personæ Patris, non est omnis possibile terminativitas Divina; Jam autem omne possibile infinitum, cum sit omnis possibile terminus omnipotentie Divinæ, fit, ut exhauriat omnipotentiam Divinam. Tum quia: ex secunda instantia potest pro conclusione formari argumentum. Persona verbi infinite terminans naturam Divinam, ita illam terminat, ut omnem suam terminativitatem infinitam, quam præstare potest, exhauriat; neq; enim aliam naturam Divinam, vel aliam creatam infinitam (utramq; enim suppono impossibilem) terminare potest; & tamen, hoc non obstante, potest terminare naturam finitam creatam. Ergo etiam omnipotentia, post productum omne possibile infinitum, poterit producere aliqua finita, redibitq; argumentum superius factum. Addo, non esse ullum inconveniens, infinitam terminabilitatem naturæ Divinæ, exhauriri per terminativitatem trium Divinarum Personarum, si autem exhauriretur omnipotentia Divina, ita, ut ulterius nihil posset facere, magnū foret inconveniens: nam imprimis non potest dici propriè exhauriri, terminativitas Naturæ Divinæ, cum tres personæ, quamvis inter se distinctæ, sunt tamen identificatæ cum natura: idē autē propriè non dicitur exhauriri à seipso; jam autem, si exhauriretur omnipotentia Divina, exhauriretur ab aliquo à se distincto realiter, nempe à productis creaturis, adeoque exhauriretur propriè. Rursus, prius illud exhauriri contingeret, per aliquid æquale, nempe per personas Divinas, infinitum autem exhauriri à mensura infinita nihil vetat: exhauriri autem, omnipotentia per creaturas contingeret, per aliquid inæquale: quia non exhauriretur per aliquid esse Divinum. Deinde, id quod se habet per modum termini, non dicitur exhaurire propriè; hinc, etiam si per impossibile, omnes finitas & infinitas terminaret cognitiones, objectum aliquid, non inde jam non cognoscibile foret: neq; enim inde jam entitatem suam perderet, cujus necessaria passio est, esse verum, adeoque cognoscibile; sed omnipotentia cum se non habeat per modum termini, sed potius potentiaæ effectivæ, verè & propriè per creaturas exhausta, diceretur. Deniq; non est ullum absurdum, quod infinita terminabilitas naturæ Divinæ, exhauriatur ab infinita Divina terminativitate, Tripersonalitati ejus debitæ, immo est perfectio Dei necessaria, salvans unitritatem ejusdem, unde etiam est perfectio ejus actu possessa, jam autem exhaustio

haustio omnipotentia, non est perfectio Dei, sed esset defectio perfectionis Divinae. Tum quia: illud quod dicitur de exhaustionem Divinae scientia, pro nobis est. Dico enim exauriri scientiam Divinam in hoc sensu, quia nihil est cognoscibile, quod non cognoscat, & ultra hæc, non se extendit, sed hæc perfectio est potius Dei: quia scilicet perfectio Dei est, non esse nescientem, quam perfectionem adfert illa exhaustio; & si hanc non haberet exhaustionem, nesciens esset: ergo etiam à possibilitate creaturarum, exauritur omnipotentia Divina, neque enim ultra possibilia aliquid potest, cum hoc tamen addito, quod hæc omniscientia Divina exhaustio sit perfectio Dei, quia nisi nosset omnia possibilia, omniscius non esset; sed exhaustio omnipotentia, quæ fieret per omne possibile productum, est exhaustio, quæ adfert negationem omnipotentia, ejusque destructionem, quid enim illa omnipotentia posset? Et certe non aliunde Deus habet non esse nescientis, nisi ab actuali omniscientia; rationem autem omnipotentia aliunde habet.

RESPONDEBIS secundò. Habere actum adequatum, est perfectio potentia, & ita si oculus eliceret visionem adequatam, intellectus item cognitionem adequatam; maxima hæc esset perfectio oculi, & intellectus; consequenter erit perfectio omnipotentia, habere actum adequatum, stantem in productione omnium possibilem.

CONTRA. Quia actus adequatus, stans cum esse potentia, est perfectio potentia; sed actus adequatus, destruens esse potentia, non est perfectio potentia; hoc autem in presenti contineretur.

RESPONDET tertio Vasquez. Posito omni possibili infinito, & omni producibili; adhuc Deus posset illa conservare, ad operationes concurrere, & similia.

CONTRA. Quia hæc Responsio contradictorios terminos continet; & esset enim omne possibile producibile productum, & non esset; esset, ut supponitur in negatione, conclusionis, non esset autem, quia adhuc operationes produci posset, & conservatio infiniti, quæ omnia veniunt inter producibilitatem, omnis possibilitis, tam finiti quam infiniti.

PROBATUR secundò. Si Deus produceret omne possibile infinitum, & produceret omne possibile infinitum, ut supponitur, & non produceret: quia non produceret omne potentia infinitum, quod etiam est inter producibilia; quod autem non produceret omne potentia infinitum, per hoc probatur: quia infinitum in potentia est, infinitum essentialiter; exigens esse in potentia. Ergo produci actu non posset. Ergo apparet in illo omni producibili, non posse produci omnia.

RESPONDEBIS. Sufficit quod producat Deus

omne producibile infinitum categorematicum.

CONTRA. Quia conclusio attendit ad producibilitatem etiam finitorum, modò sint illa contenta, in numero possibilem: negat enim conclusio, posse produci omne possibile.

PROBATUR tertio. Instantiis variis, quæ ostendunt, non posse produci omne producibile, & ita, non potest produci æternitas à parte post, quantitatis divisibilitas in infinitum, &c. &c.

DICENDUM est tertio. *Etiam posita possibilitate infiniti, non est necessarius, nec possibilis numerus maximus finitorum.*

PROBATUR primò. Quòd non sit necessarius maximus finitorum. Quia ad hoc, ut transeat à numero finito ad infinitum, non est necesse, tanquam per medium transire; per numerum maximum finitorum. Ergo posset esse infinitum, sine positione numeri maximi finitorum. Antecedens probatur, quia esse infinitum, non est post numeros finitos, aliquorum numerorum infinitantum, inchoatio: sed est tantum numerorum semper finitorum, sine fine aggregatio. Ergo ad hoc, ut à finito ad infinitum transeat, non est necesse, tanquam per medium, transire per numerum maximum finitorum.

PROBATUR secundò. Posito numero maximo finitorum, vel potest Deus ponere infinitum, vel non potest? Si non potest? Ergo non est necessarius numerus maximus finitorum, ad positionem infiniti, quod tamen tu vis; Si autem potest Deus ponere infinitum, quæro, an ponendo jam infinitum, debeat adhuc ponere alium numerum maximum finitorum, an non debet? Si debet? Ergo prior ille non erit necessarius ad infinitum. Ergo & hic posterior, de illo enim redibit eadem, quæ de priori quæstio; Si autem non erit necesse ponere, Ergo quamvis ille, qui supponitur productus numerus maximus finitorum non poneretur, modò poneretur illa ipsa infinitudo, sequeretur infinitudo. Ergo ulterius non est necessarius ille maximus numerus finitus ad infinitationem. Quòd si dicas, non posse Deum ponere numerum illum infinitum, nisi ex suppositione positionis numeri maximi finitorum, da in hoc ipso implicantia.

PROBATUR tertio. Quòd numerus finitorum maximus sit impossibilis. Quia & erit ille numerus maximus finitorum, ut supponitur, & non erit maximus finitorum: quia si Deus post numerum maximum finitorum, potest producere v. g. infinitos homines, potest & unum, quem ipsum addendo, augebit numerum maximum finitorum, consequenter ille prior non erat maximus finitorum.

Addit recentior Suar: Ponamus numerum maximum finitorum, secundum eum, numeretur aliud numerabile, rursus secundum eundem numerum maximum finitorum, numeretur aliud numerabile; en tibi erunt duo numeri maximi finitorum: conjungantur illa nume-

numerata simul, non facient unum infinitum; quia infinitum non stat duobus solis finitis. Ergo faciunt numerum finitorum, majorem, maximo finitorum.

DIFFICULTAS III.

Fundamenta in Oppositum.

OBJICITUR primò varia auctoritas.

PRIMA est Aristotelis, qui cum tenuerit mundum creatum esse ab aeterno, generationesq; fuisse ab aeterno, hoc ipso admisit infinitum categorematicum.

SECUNDA auctoritas est Dionysii cap. 8. de Divinis nominibus.

TERTIA Aug. ad Volusianum.

RESPONDETUR. Aristotelem errantem favore oppositis: erroneè enim admisit mundi aeternitatem. Sed oppositum docet, statq; pro nobis tertii Physic. T. 67. unde non docuit dari infinitas factas generationes ab aeterno, sed tantum hoc sequitur, deduciturq; ab oppositis, ex suppositione erroris. Secunda auctoritas non aliud vult, quam Divinam omnipotentiam, extendi posse ad creaturas in infinitum producendas, nec terminari unquam numerum producibilium. Tertia autem solum adstruit possibilitatem Incarnationis, licet eam clare explicare non possimus, ita ut debeamus tandem dicere, quod concedendum sit, Deum aliquid posse, quod nos explicare non possumus; sed inde non sequitur, quod debeamus concedere, ea posse Deum facere, quorum implicantiæ convincunt.

OBJICITUR secundò à pari.

PRIMA paritas est. Si daretur luminosum infinitum, produceret lumen infinitum, itemque si daretur ignis infinitus, produceret infinitum calorem. Ergo & Deus, poterit producere infinitam lucem, neq; enim est minus potens, quam lux infinita.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia posito per impossibile luminoso infinito, hoc ipso ponitur vis necessaria, ad actualem infinitam lucem; Divinà autem potentiā positā, non ponitur potentia ad actuale infinitum, quia in Deo non datur potentia ad impossibile. Illa autem propositio: Deus non est minus potens, quam lux infinita, est propositio falsa, quia est de subiecto non supponente: nulla enim datur lux infinita.

SECUNDA paritas est. Si Deus ab aeterno produxisset Angelos, ita ut singulis momentis, singuli producerentur ad hodiernum diem, fuissent infiniti. Ergo etiam & nunc posset producere infinitos Angelos.

RESPONDETUR ex dictis, in materia de creatione habetur, quod ab aeterno, successivè tamen, non potuerint produci Angeli.

TERTIA paritas. Scientia Dei respicit objectum infinitum, itemq; immensitas. Ergo & omnipotentia.

RESPONDETUR, quo sensu verum est antecedens, eo sensu & consequens: nempe, quod ista omnia terminentur ad infinitum syncategorematicè.

QUARTA paritas. Potentia finita potest facere finita in infinitum, v. g. intellectus potest elicere cognitiones finitas in infinitum. Ergo & potentia simpliciter infinita, potest facere simpliciter infinitum: aliàs non esset distinctio, inter potentiam finitam & infinitam.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia argumentum multum probat: probat enim, quod intellectus Divinus, etiam non cognoscibile, debeat noscere, ut ita distinguatur ab intellectu creato, habente pro objecto omne cognoscibile. Sicut ergo ad distinctionem ab intellectu creato, sufficit modus cognoscendi nobilior, cum latitudine cognoscendi actuali majori, incomparabiliterq; digniori: sic & potentia Divina, sufficienter distinguetur, per modum agendi nobiliorem, & incomparabiliter latentiorem.

QUINTA paritas est. Si Deus ex necessitate ageret, produxisset infinitum. Ergo etiam multo magis libere agens, poterit producere infinitum.

RESPONDETI posset primò. Casu quo Deus ageret ex necessitate, ageret non quidem infinitum, quia hoc est impossibile, sed acturum longè plus, quam nunc, nec pro sua libertate destitutum fuisse ab agendo. Sic v. g. ignis, est causa necessaria, & tamen vi hujus predicati, non producit omnem effectum, quem potest producere, sed tota ejus necessitas sita est, non nisi per ordinem ad hoc, quia positis praequisitis non habet indifferentiam ad agendum.

INSTABIS primò. In casu suppositionis, non esset ratio, cur & plus, & plus, non produceret Deus, nec haberet, à quo determinaretur: Ergo cum plus, & plus, posset sine fine, omnia produceret. Ergo produceret infinita.

RESPONDETUR. Determinandum tunc Deum ab ipsa impossibilitate infiniti, semperq; plus, & plus ageret, nunquam tamen infinitum.

INSTABIS secundò. Quod ignis non agat plus & plus, adeoq; non producat infinitum, exinde hoc oritur; quia non habet omnia praequisita ad agendum, quorum defectus determinat, ne plura agat.

RESPONDETUR. Sicut defectus praequisitorum, determinat, ne plura agat ita impossibilitas infiniti determinat, ne producat infinitum.

INSTABIS tertio. Deus omnia potest, & hæc omnia deberet agere, si necessario ageret, tunc quæro; suntne illa finita, an infinita? Si finita, Ergo possibilia, sunt finita; Si infinita, Ergo cum casu illo omnia agat, quæ potest agere, produceret infinita.

RESPON-

RESPONDETUR, Deum posse producere finita in infinitum, producturumq; tunc Deum finita in infinitum.

RESPONDERI posset secundò, producturum Deum in casu antecedentis infinita, quæ simul non essent infinita: infinita quidem, quia supponitur, probaturq; ab oppositis productio infiniti; non produceret autem infinita, propter rationes, quæ à nobis suprà adlata, ita ut esse infiniti, probetur per rationes oppositorum, non esse per nostras: ex confluxu autem utriusque partis rationum, confurget probatio contradictionis, esse & non esse, & hoc in similibus aliis de impossibilitate materiis, servari potest.

OBJICITUR tertio, unicuique potentie respondere debet actus adequatus. Atqui nullus actus finitus adequatur omnipotentie Divinæ. Ergo illi respondere debet infinitus actus.

RESPONDETUR, unicuique potentie correspondere debet actus adequatus proportionatus, non improporionatus; & quia potentia Divina est ad effectum finitum in infinitum, non verò ad infinitum actu, ideo etiam potentie Divinæ respondere debet effectus finitus in infinitum.

INSTABIS. Potest facere quocunque finito majus, illud autem erit infinitum.

RESPONDETUR. Quocunque finito majus, erit eisdem majus finitè in infinitum, sed non infinitum absolute. Concedo, quòd omnipotentia divina sit infinita dignitate, sed non est infinita vi creandi infinitum, sed vi creandi finitum in infinitum, solumq; talem effectum, debet posse.

OBJICITUR quartò. Deus habet potentiam simul creandi omnia. Sed si simul crearet omnia, essent infinita. Ergò Deus habet potentiam creandi infinita.

RESPONDETUR. Deum habere potentiam simul, ex parte potentie ad creandum omnia, neque enim successivam habet acquisitionem suæ potentie, sed non habet simul, simultate tenente se ex parte effectus: quasi scilicet, omnia simul, sit possibile ponere, sicut etiam intellectus creatus, ex parte sua, totam simul potentiam habet intelligendi omnia, nec tamen omnia, simul intelligere potest.

INSTABIS. Quod potest à Deo successivè fieri, potest & simul, nisi essentialiter involvat successionem; sed etia permanentia non involvunt successionem. Ergo.

RESPONDETUR. Entia permanentia sub formalitate permanentium, non involvunt successionem, involve tamen sub formalitate infiniti.

OBJICITUR quintò. Omnia entia producibilia, sunt entia realia à Deo cognoscibilia. Ergo & producibilia.

RESPONDETUR. Omnia entia realia finitè in infinitum producibilia, sunt entia realia, sed non producibilia infinitè categorematicè.

OBJICITUR sextò. Nulla est impossibilitas, inter partes collectionis infinitorum hominum. Ergo potest collectio hæc poni. Antecedens probatur: quia illa impossibilitas, vel est ex ratione specifica, vel ex individuali, vel ex ratione infinitatis; sed nulla ex his impossibilitatibus reperitur in infinito hominum; non ex ratione specifica, aut individuali: aliàs collectio duorum hominum, vel leonis, vel hominis, esset impossibilis: non etiam ex ratione infiniti; quia datur infinitum syncategorematicum.

RESPONDETUR. Oriri implicantiam, ex ratione infiniti categorematici; objectioq; multum probat, quia probaret, partes æternitatis, posse omnes simul poni.

OBJICITUR septimò. Deus actu videt numerum hominum, v.g. possibilem, hic, vel est finitus categorematicè, vel infinitus categorematicè: Si finitus categorematicè, Ergo est aliquis determinatus numerus possibilem; Si infinitus categorematicè, Ergo erit possibile infinitum actu: quia quæcunq; implicantia adferri potest, contra infinitum actuale, eadem servit contra infinitum à Deo cognitum.

RESPONDETUR. Quæ adferri possent contra infinitum cognitum, ea inferius discutientur; pro nunc, negatur antecedens, quia datur tertium membrum, nempe finitum in infinitum procedens.

QUÆSTIO III.

De Infinito Syncategorematico.

Dixi infinitum Syncategorematicum esse infinitum, ex quo scilicet accipere semper est, quamvis totum non existat actu: de hoc in presenti agendum est.

DIFFICULTAS I.

Daturne infinitum Syncategorematicum?

DICENDUM est, Dari infinitum Syncategorematicum.

PROBATUR primò. Res possibiles v.g. homines non sunt finiti: Ergo sunt non finiti, sed non sunt non finiti, seu infiniti categorematicè: nam hoc implicare diximus. Ergo sunt infiniti, seu non finiti syncategorematicè.

PROBATUR secundò. Possibile est infinitum syncategorematicum: nam nulla in illo potest ostendi implicantia. Ergo datur. Probatur consequentia. Quia quando dico, non implicat hoc posse esse, benè infero: Ergo potest esse. Ergo etiam, quando dico, infinitum syncategorematicum non implicat contradictionem, benè infero; Ergo datur: quia dari ipsius, est posse esse, seu in potentia esse.

PRO-

PROBATUR tertio. Vel possibilis est æternitas, à parte. tam ante, quam post, vel non est possibilis: Si non est possibilis, Ergò non datur Deus: quia non datur ens à se ab æterno: quod idem sequeretur, si non esset possibilis æternitas à parte post; quòd si possibiles sunt illæ æternitates, inferam. Ergò possibile est infinitum syncategorematicum: quia æternitas non existit tota simul, & non est quid finitum, si enim est quid finitum, æternitas non est.

OBJICITUR primò. Implicat infinitum categorematicum. Ergò & syncategorematicum. Consequentia probatur: quia eadem, quæ adferuntur contra infinitum categorematicum, adferri possunt contra syncategorematicum; quod ipsum probatur. Infinitum syncategorematicum hominum, vel est æquale omnibus reliquis possibilibus infinitis, vel non est æquale? Si est æquale? Ergò pars est æqualis toti, rediretq; argumentum, quòd supra de infinito in communi actum est. Si est inæquale? Ergò clauditur terminis, quâ scilicet parte non coæquatur reliquis possibilibus.

RESPONDET primò recentior Suar. unum infinitum syncategorematicum, neque esse minus, neque æquale; non enim unum infinitum syncategorematicum cum alio comparabile est. Rationem reddit: quia omnis comparatio est mensura, omnis autem mensura, requirit determinationem determinabilis; si enim determinationem non requirit comparatio, quæram, quid sit plus 20. an plures? cum ergo infinitum syncategorematicum determinatum non sit; accipiuntur enim partes illius indeterminatæ, sine ullo termino, consequenter, nec illic pars est major toto, nec æqualis, nec minor, quia omnes hæc determinationes sunt rerum determinatarum; hinc quando dicitur tot sunt in possibili hominum oculi, quot manus, non est comparatio rigorosa, sed tantum sensus est, tam esse indeterminatas, ac incomparabiles oculos & manus. Porro aliter se habet res circa infinitum categorematicum: nam res determinatur; vel per existentiam, vel per acceptionem extrinsecam, quæ determinatio per existentiam clarè competit infinito categorematico, si datur. Infinitum verò in potentia nec existit, nec concipitur totum, ut infinitum; sed in infinitum. Hanc responsionem alias impugnavi, de partibus indeterminatis continui. Caterum posset aliquis hanc Responsionem pro præsentis tueri; videturq; esse disparitas de continuo, & de infinito syncategorematico: quia ut dixi immediate tota entitas divisibilitatis existit, & determinatur per positionem rei, qualem determinationem non habet infinitum syncategorematicum.

RESPONDERI potest secundò, consequenter ad dicta; non esse quidem infinitum possibilem hominum æquale rigorosè infinito possibilem,

v. g. capillorum; mensuratio enim est semper, rerum consistentium, & non ulterius procedentium: possibilitas autem nunquam consistit. Sic v. g. si aliquis velit mensurare equi cursum, nunquam posset dicere tantus est, si semper equus mensuram se subsequentem, præcedat. Sic etiã in possibilibus, cum non consistent, sed naturaliter sit ulterius & ulterius extendi, mensurari propriè nò possunt. Cujus ratio est, quia infinitum syncategorematicum, quomodocunq; accipias, semper plus & plus dicit: si enim plus & plus non diceret, non esset infinitum syncategorematicum; quia hoc essentialiter potentialitatem purificabilitatis, semper & semper importat. Nihilominus hoc infinitum syncategorematicum, dici potest minùs propriè æquale; in quantum scilicet intellectus, in consideratione unius, procedit ad considerationem alius, cum aliqua comparatione. Dico itaq; unum infinitum possibile hominum, esse æquale minùs rigorosè reliquis, ut dixi supra. Quare autem posset dici, æquale unum possibile alteri, & non posset dici æquale unum infinitum, reliquis infinitis, dictum supra: quia scilicet, sicut unius, ita & omnium possibilem, eadem radix, & fons inconsummabilitatis, nempe omnipotentia Dei, & non implicantia contradictionis; jam autem quorumcunque infinitorum comparatorum ad aliud, radix multitudinis tantæ vel tantæ, est ipsa entitas, quæ supponitur à parte rei producta, quâ sublata, jam nihil restat, quod vices ejus suppleat, sicut quæcunq; sublatione, comparatione &c. facta circa possibilem infinitatem, manet idem omne possibile. Quod ita explicatur:

IMAGINARE, poni à Deo infinitum aliquod, & ex altera parte poni 10. infinita: tunc si acceptis millenariis, & assignatis alicui individuo ex illis 10. infinitis, si inquam extemplo Deus suppleat productionem illius infiniti millenarii accepti, eo casu, unum infinitum, æquare posset 10. infinita, eò quòd semper in eadem plenitudine maneret illud uniter infinitum; cum ergò acceptis quibuscunque possibilibus individuis hominum, maneat in eadem plenitudine ratio possibilis, hinc fit, ut ratio possibilis unius, possit comparari reliquis possibilibus: quod enim faceret in illo uniter infinito, suppletio facta numeri accepti, per productionem factam à Deo, aliis numeri æqualis accepto; hoc facit, ipsa non implicantia contradictionis, respectivè ad omnipotentiam Dei accepta, ut possibilitatem rerum, in eadem semper plenitudine teneat. Nec inde sequetur, partem esse æqualem toti: nam unum possibile respectu aliorum, non habet rationem verè partis, sed potius totius, potest autem benè unum totum, esse æquale alteri, & pluribus totis, quando plura tota, eandem rationem magnitudinis, idemq; principium & rationem formalem tantitatis habent. Et certè illud

lud pars est, quod toties multiplicatum & computatum æquat totum, & sine hac multiplicatione non æquat, sic v. g. binarii infiniti pars, sunt unitates infinitæ, quæ iteratò semel multiplicatæ & computatæ, adæquant, conficiuntq; binarium infinitum: jam autem infinitum possibilem hominum, non est necesse toties & toties multiplicari, ut æqualeat omnibus reliquis possibilibus; æqualeat enim ex titulo ejusdem fontis multiplicabilitatis, & progressus. Possunt tamen dici pars abusive; quia scilicet, alia est connexio prædicatorum hominis, alia connexio prædicatorum leonis, quamvis tantitatis eadem sit radix; fons, & ratio formalis. Porro fieri potest, ut ea, quorum tantitatis eadem est radix, sint talia, ut unum æqualeat pluribus, & plures uni, sic v. g. non est magis homo unus Petrus, quam Petrus, Paulus & Andreas, quia rationem hominis, ab eodem principio participant. Rursus una Persona Divina, æqualeat reliquis, & reliquæ uni; quia idem est principium, radix æquivalentiæ, nempe Divina natura.

Objicitur secundò. Si datur infinitum syncategorematicum, etiam formæ possibiles, erunt infinitæ syncategorematicæ; si formæ possibiles sunt infinitæ syncategorematicæ; deberet dari actum infinitum: quia quot sunt formæ infinitæ syncategorematicæ, tot sunt negationes formarum actum in materia. Ergo si formæ sunt infinitæ in potentia, negationes illarum erunt infinitæ actu.

RESPONDETUR. Negationes illas formarum, duo dicere, unum in recto, & hoc est ipsa entitas materiæ, & aliud in obliquo, hoc est formas connotatas, quæ ipsæ cum sint non nisi in potentia, infinitæ negationes, etiam erunt infinitæ in potentia. Addo, sicut esse negationum, est non esse, ita esse infinitum negationum, est non esse, ita esse infinitum negationum, est non esse infinitum. Rursus, cum non dentur negationes negationis, sed fundentur in ipso Ente, quod negant; hinc & actualitas negationum, fundatur in Ente, quod negatur; & quia Ens, quod negatur, non est infinitum actu, ideo & negationes illæ non erunt infinitæ actu, sed sequentur conditionem Entium quæ negant. Vide Metaph. in materia de negationibus.

Objicitur tertio. Quod essentialiter est in potentia, non est infinitum; Syncategorematicum infinitum, est essentialiter in potentia; Ergo non est infinitum.

RESPONDETUR. Quod essentialiter est in potentia, non est actu, sed est tamen in potentia; quod solum esse, competere debet infinito Syncategorematico.

DIFFICULTAS II.

De speciebus infiniti Syncategorematici.

Uo in præsentī maxime inquirenda sunt, primò an res possibiles sint finitæ, an infinitæ;

secundò, an in productione tam perfectorum, quam imperfectorum, procedere sit semper in infinitum; ita, ut nunquam devenire sit ad perfectissimam, & imperfectissimam creaturam.

DICENDUM est primò. *Non apparere implicantiā* (quæ procedat per locum positivum) *in Creatura, quæ non sit in infinitum multiplicabilis.* Quæ enim illa? de hac materia, translata sunt notabilia ad primam partem, ubi de Angelorum multiplicabilitate. Videantur ibi dicta.

DICENDUM est secundò. *Possibilia plusquam semel multiplicabilia, esse in infinitum multiplicabilia;* ita post alios Ovied: hic pan. 3.

PROBARI solet primò. Quod Vicleffius à Concil. Constantiensi damnatus, docuerit, Deum non posse creaturas, ultra determinatum numerum, producere.

RESPONDETUR. Docuisse quidem hoc Vicleffium, in Concil. Constantiensi, tamen non reperiri damnationem hujus puncti; sed tantum reperiri, inter puncta, à Colonienſi Facultate, Concilio proposita ad damnandum, si videtur Concilio.

PROBARI solet secundò. Ponamus positum illum numerum creaturarum, vel potest adhuc, vel unam supra, Deus ponere creaturam, vel non potest? Si potest, Ergo apparet numerum creaturarum jam positum, non fuisse completum, positamq; illā Creaturā unā supra numerum, quæram; an adhuc aliam possit producere, si non potest, cur potuit priorem, & quidem ultra numerum possibilem producere. Ergo ulterius, prior ille numerus, non fuit determinans possibilitatem creaturarum: quod si non potest, quæ in hoc implicantiā?

RESPONDEBIS primò. Sicut ultra possibiles infinitas creaturas, non est possibilis alia, ita nec ultra possibiles illas determinatas, possibilis est alia.

CONTRA. Quia possibilitas creaturarum infinita, est possibilitas in infinitum nunquam consistens, nunquam determinata; hinc quamcunque possibilem creaturam complectens, adeoque etiam eam, de qua retorques argumentum. Sed, per oppositos, non quemcunque tandem numerum creaturarum, determinatus ille numerus comprehendit.

RESPONDET secundò Ovied. Quod posito numero determinato creaturarum, non tenearis rationem reddere, cur hæc potius, quam illæ sint possibiles, sed quod tantum infinitæ, non sint possibiles.

CONTRA: quia non potes ostendere, cur infinitæ sint impossibiles. Ergo ostendere debes, cur hæc sit impossibilis.

RESPONDERI posset tertio. Implicaturam illam creaturam, quia & esset possibilis, ut supponitur, & non esset possibilis, quia ultra numerum determinatum possibilem esset; ita ut

† ee

si illa

si illa creatura, foret possibilis, deberet jam posse includi, in illo numero determinato.

CONTRA hanc responsionem, ut agatur.

Hinc

PROBATUR tertio Conclusio, reiectione oneris, ad ostendendam implicantiam. Non implicat contradictionem, creaturam positam, pluries plurificari in infinitum, nec repugnat, ut pluries posita, non determinetur ad certum numerum; & si hanc determinationem pro contradictione attuleris, hæc ipsa negabitur. De quo modo retorisionis, alibi etiam agitur.

CONFIRMATUR: Quia videtur hoc magis exaltare omnipotentiam Divinam, ejus efficacitatem non restringendo in talibus: & ex alia parte manet idem principium multiplicandi, nempe, non repugnantia contradictionis, in connectione prædicatorum essentialium, videturque hoc pro principio assumi posse, quod semel non implicat, nunquam implicat.

OBJICITUR. Non apparet repugnantia implicantiae, in creatura essentialiter immultiplicabili. Ergo nec apparebit in creatura determinate multiplicabili.

RESPONDETUR. Cum pro Antecedente, stet auctoritas totius Scholæ Thomisticae, bene defendi potest, saltem sub his terminis, quod impossibilitas talis creaturae, nulla appareat per locum positivum. Sed quia consequens, à nulla schola universaliter docetur; quamvis etiam illius, nulla posset per locum positivum, implicantia ostendi: hinc fit, ut retorisione oneris implicantiae ostendenda, uti possumus. Deinde, si semel appareat, rem non excludere sui plurificationem, à pari arguendo, bene inferetur etiam ulterius, illam plurificari posse: & sicut, qui potest pronuntiare A & B, bene arguitur posse pronuntiare Ab; quod de illo non argueretur, si ipsum A. B. pronuntiare non posset: ita si pluries multiplicari potest creatura, bene arguetur etiam multiplicabilem esse. Quanquam sufficiet eadem methodo, hanc etiam conclusionem tueri, quod scilicet, nullum sit positivum fundamentum, pro possibilitate talis creaturae.

INSTABIS: Omnis multitudo finita, potest successive percurri: Ergo si incipiamus annu-merare omnes creaturas posibles, pervenimus ad numerum quendam, ultra quem procedere non possemus: tunc quæro, si addamus illi multitudini, ultra quam procedere non possumus, unam creaturam, illa anterior multitudo erit finita, & non erit finita; erit finita, quia unum additum numero finito, non potest facere infinitum: non erit finita, quia illa multitudo, cui hæc unitas additur, erat multitudo omnes finitos numeros includens, seu maximum finitorum.

RESPONDETUR. Multitudinem finitam simpliciter posse successive percurri, secus multi-

tudinem finitam, in infinitum procedentem, in qua etiam multitudine, non erit necesse venire ad numerum maximum finitorum, præcipue cum ex dictis supra medium ad infinitum, non sit præhabere numerum maximum finitorum. Immo hoc argumentum multum probat; probat enim etiam in æternitate à parte post, deveniri posse ad numerum temporum, maximum finitorum.

DICENDUM tertio. *Quod sit procedere in infinitum in creaturis perfectioribus producendis, seu quod non posset perveniri, unquam ad perfectissimam.*

PROBAT primò Falsolus: quælibet creatura quantumvis perfecta supponatur, infinite adhuc distat à Deo. Ergo adhuc poterit dare media inter illam & Deum.

RESPONDETUR, Negando consequentiam, quia quamvis illa creatura foret finita, si perfectissima est, illa perfectior dari non potest, tu autem aliunde impossibilitatem talis creaturae non ostendis. Præcisa etiam ratio finiti, quæ talis, non semper patitur additionem; unum enim est maxime finitum, & tamen additionem in ratione unius, pati non potest, hoc ipso enim, non esset unum.

PROBAT secundò, recentior Suar: Repugnat supponere, quod id repugnet, quod non repugnat: non repugnat autem quælibet creatura perfectior.

RESPONDERI potest, retorquendo argumentum; repugnat supponere id repugnare, quod non repugnat: non repugnat autem creatura perfectissima.

PROBATUR tertio per principium negativum, non potest ostendi clara implicantia, quod perfectio creaturarum, non sit in infinitum augmentabilis, ex altera parte quamvis non posset ostendi implicantia, magis dignificabit omnipotentiam Divinam, si scilicet dicatur, hæc ipsa, quam tu appellas, perfectissimam creaturam, posse aliam perfectiorem dari; tenentq; hoc P. P. nominatim Dionys. cap. 4. de Divinis nominibus, quam auctoritatem vide apud Ovied. hic & recentiore Suar:

RESPONDE BIS, magis per oppositos dignificari omnipotentiam Dei, quia concedunt, Deum aliquid facere posse, quod negamus nos, scilicet perfectissimam creaturam: Sicut major est dignitas Regis, quod possit facere Principem, cæteros omnes excellentem, se solo excepto.

CONTRA, appellemus hanc creaturam A, dicimus nos hanc ipsam, posse Deum producere, sed ita, ut illa excellentiorem posset adhuc producere, quod negant oppositi, magis ergo per nos dignificatur omnipotentia: Et sicut, si Præfectus aulae alicujus Palatini, sit non nisi gregarius servus Regis, magis per hoc dignificabitur

Rex

Rex; ita major erit dignitas Dei, si hæc creatura, quam tu ponis perfectissimam, nec dum sit primum locum in aula Dei occupans: majorq; esset dignitas Principis, si semper digniorem, & digniorem possit facere, nunquam tamen æquantem sunt decora.

CONFIRMATUR à pari: Non est possibilis numerus maximus finitorum. Ergo neque est possibilis species maxima perfecta, & si non esset possibilis numerus numerans, quo non sit dabilis major, ita nec erit possibilis creatura, quæ non possit dari major. Et si non potest per Pontium, dari processus in infinitum, in speciebus dicentibus ordinem ad alias species, cur non & omnes talem ordinem dicent, vel si non dicent, cur etiam æquæ non erunt multiplicabiles? Et certè non potest ostendi, quis sit ordo, tria ad unum, & tamen numerus numerans in infinitum produci potest; ita quamvis non ostenderetur unius creaturæ ad aliam ordo, si multiplicetur semel, potest in infinitum multiplicari: ita ut non perveniatur ad perfectissimam. Item non est possibile infinitum. Ergo neq; perfectissima creatura, quod ipsum sic proponitur. Implicat creatura infinitæ perfectionis in essentia, condistincta per hoc solum à Deo, quod sit producta in sua essentia. Ergo erit impossibilis etiam perfectissima creatura, quidquid enim repugnantia in antecedenti est, idem valet pro consequenti.

Solutio Objectionum.

Obijcit primò Arriag. Non implicat creatura perfectissima. Ergo est dabilis.

RESPONDETUR, retorsione oneris, ad ostendendam implicantiam, cur scilicet implicet quacunque posita perfecta creaturæ, dari perfectiorem, & quia paritates adlatæ contra sententiam cæteroqui auctoritate non munitam, benè tenent. Hinc hoc argumentum utrique parti servit.

Obijcit secundò idem. Sumatur tota collectio creaturarum, in hac, non omnes exceduntur à creaturis. Ergo aliqua est, quæ non exceditur, adeoq; est suprema. Antec. probatur, reputat omnes creaturas produci à creaturis, nisi detur mutua productio, devenireque erit ad aliquam creaturam non productam ab alia. Ergo etiam in perfectione devenire erit ad unam, quæ non excedatur ab aliis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nisi deveniatur ad unam creaturam immediate productam à Deo, necessariò dici debet, quod creatura producta producat ab alia à se producta, quod est absurdum; jam verò si non deveniatur ad unam, quæ sit omnium perfectissima, non erit necesse, ut excedatur ab ea, quam excesserat, cur enim hoc deberet fieri? Rursus si non deveniatur ad creaturam productam à Deo, nulla erit necessitas Dei creatoris, quod absurdum est,

& tamen illud non sequetur, negatà creaturà perfectissimā.

INSTAT idem. In collectione omnium possibilium, non omnes species exceduntur. Ergo aliqua est, quæ non exceditur, adeoq; est suprema. Antec. probatur: quia si omnes exceduntur, sequeretur plures esse, quæ exceduntur, quàm quæ excedunt; & non esse plures: quod ipsum prob. Quia v.g. accipiendo collectionem possibilium, in qua incipitur ab homine, tunc in illa collectione, species omnes excedunt hominem, & homo nullam excedit speciem illius collectionis. Ergo species quæ excedunt, sunt plures unā v.g. specie, præ illis quæ exceduntur, quod etiam non essent plures excedentes, probat, quia quælibet, quæ excedit, debet per nos habere unam, quæ illam ipsam excedat.

RESPONDETUR. Nulla species ita est imperfecta, ut non habeat imperfectiorem se, consequenter nulla ita exceditur, quin excedat.

Obijcitur tertio, in tota collectione creaturarum, est summa propinquitas in perfectione cum Deo, quæ in creaturis esse potest, ultra enim possibilia, nihil est possibile, adeoq; quod vicinitatem & participationem perfectionis Divinæ habere possit. Sed hæc vicinitas summa non reperitur in omnibus, excedunt enim se species sicut numeri: Ergo debet esse in una, quæ est illa, quam intendit argumentum, perfectissima creatura.

RESPONDETUR. In collectione tota creaturarum, esse summam perfectionem, sed summitate syncategorematicā, non verò summitate categorematicā. Sicut enim ipsa possibilitas procedit in infinitum, neque ullo finito terminabilis est, ita nec terminabilis est ullā certā ad Deum vicinitate. Addit Ovid. esse summam vicinitatem in tota collectione, non autem in ulla distributivè accepta creatura.

INSTABIS primò, Deus incipiendo v.g. ab homine, cognovit speciem quæ illum excedat: Rursus illam speciem, à qua exceditur illa species, & quia Divina cognitio, uno intuitu cognoscit creaturas, quæ excedunt & exceduntur. Ergo pergendo uno ictu sursum, tandem venit ad unam quæ à nulla exceditur, & quæ ipsi Deo immediatior erit, & hæc erit illa perfectissima.

RESPONDETUR. Uno ictu sursum nunquam deveniri ad creaturam, quæ à nulla excedatur, unde Divina illa cognitio, ita est exprimibilis, singula ex possibilibus cognosco, ita tamen, ut nullus sit illorum terminus, de quo mox plenius.

INSTABIS secundò. Potest Deus producere creaturam summè perfectam, quam potest, quæ est propositio identica; producat ergo illam, quo posito vel erit illa perfectissima, vel non? Si erit perfectissima, Ergo habetur intentum: Si non erit perfectissima, Ergo non erit summè perfecta, ut supponebatur.

RESPONDETUR, imprimis invertendo argumentum. Potest Deus producere chimaram, quam potest producere, quæ propositio est identica, quo posito, quæro vel illa creatura erit chimara, vel non: Si erit? Ergo chimaram potest producere, Si non erit? Ergo non erit illud quod supponimus produci: sicut ergo retorsio- ni debet negari subiectum primæ propositionis, ita & in præsentī negari debet, posse dari summæ perfectam creaturam. Propositio autem identica est vera, vel in sensu absoluto, cum procedit legitime, ut cum dico: Petrus est hic homo, vel in sensu conditionato, & ita, cum dico, chimara producibilis, est producibilis; redditur iste sensus: chimara si esset producibilis, esset producibilis, sed inde ejus producibilitas non colligitur: quia conditio, nihil ponit in rebus.

OBJICIT quarto Pontius. Si essent possibiles species infinitæ, possent produci à parte rei simul: potest enim etiam infinitum specierum produci, & tunc una ex illis necessariò haberet excessum supra cæteras, quæ ipsa creatura, cum non possit esse infinitæ perfectionis, deberet esse finitæ.

RESPONDETUR, implicare à parte rei positionem infiniti specierum, consequenter implicare speciem habentem excessum supra cæteras; consequenter etiam negatur, posse assignari speciem conditionis specialis, quæ scilicet ita excedat, ut à nulla specie excedi possit.

OBJICIT quinto idem. Implicat infinitus numerus specierum, diversæ perfectionis essentialis: quia in tota illa collectione omnium illarum, daretur infinitas perfectionis essentialis: quæ soli Deo est propria, ex qua propositione inferri ad propositum debet: Ergo si non datur infinitus numerus specierum, diversæ perfectionis essentialis, debet deveniri ad speciem perfectam.

RESPONDETUR. Dari infinitatem extensivæ perfectionis, idq; infinitatem syncategorematicam: nam extensivæ & quoad numerum infinitæ sunt species, sed non fore infinitatem intensivam, & categorematicam, quæ soli Deo competit. Si datur infinitas extensivæ perfectionis, non erit necesse dari perfectissimam speciem creaturæ, & tamen finitam.

DIFFICULTAS III.

De infinito Syncategorematico, prout est in mente DEI.

Difficultas est in hoc; quomodo Deus cognoscat infinitum Syncategorematicum; an scilicet in mente Dei sit Categorematicum.

DICENDUM est: *Infinitum Syncategorematicum, in mente Dei non esse Categorematicum.*

PROBATUR primò communiter. Deus res ita cognoscit, sicut sunt in se; Ergo & infinitum syncategorematicum, non cognoscit, ut catego-

rematicum, cum in se non sit categorematicum: aliàs nosceret res difformiter objecto.

PROBATUR secundò. Independentè à cognitione Dei, infinitum syncategorematicum non extrahitur ad categoremisim; Ergo nec extrahetur cognitione Dei: quia cognitio Dei nulum prædicatum aufert objecto, exceptà negatione cogniti, nec adfert nisi denominationes de linea noscendi, ratio autè categorematici vel syncategorematici, non est de linea noscendi.

PROBATUR tertio. Infinitum categorematicum, non est in mente Dei syncategorematicum, Ergo nec infinitum syncategorematicum, est in mente Dei categorematicum. Prob: consequentia. Tum quia: sicut unum non potest esse aliud, ita nec unum cognosci, sicut aliud. Tum quia non magis distat infinitum in categorematicum à syncategorematico, quàm syncategorematicum à categorematico; id enim, quod essentialiter non nisi in actu est, ab eo quod essentialiter non nisi in potentia est, æqualem distantiam importat. Ergo si ob distantiam prioris, nō potest illud fieri cognosci; ut posterius, nec posterius poterit fieri cognosci; ut prius. Tum quia posita cognitione Divinā, de infinito syncategorematico, vel dicit adhuc cognitio Dei: est hoc infinitum in potentia, vel non dicit? Si dicit? Ergo cognoscitur ut syncategorematicum; Si non dicit? Ergo illud, quod cognoscatur, non est infinitum syncategorematicum, & sicut si non cognosceretur Petrus, hic homo, non cognosceretur Petrus; ita si cognoscendo infinitum syncategorematicum, non cognosceretur infinitum in potentia, non cognosceretur infinitum syncategorematicum.

OBJICITUR primò. Quando exhauritur tota potentialitas infiniti syncategorematici, definit esse infinitum syncategorematicum: sed in mente Dei exhauritur tota potentialitas infiniti syncategorematici. Ergo infinitum syncategorematicum, definit esse tale in mente Dei. Minor probatur: Exhauriri potentialitatem infiniti syncategorematici per cognitionem Divinam, est illam actu cognosci; sed cognoscitur actu. Ergo.

RESPONDETUR. Si actualitas teneat se, non nisi ex parte cognitionis actu, & non potentiā cognoscentis, per hoc non exhauritur potentialitas infiniti syncategorematici, sed potentialitas adnoscī; sed si actualitas teneat se ex parte objecti, per hanc exhauritur potentialitas infiniti; sed nego intervenire talem actualitatem, quod enim Objectum, essentialiter est in potentia, si secundum suam essentiam attingatur, erit semper in potentia. Per quod etiam responderi debet, quando urgetur, quod sit simul totum infinitum, in mente Dei, est enim simul, similitudine notitiæ, non objecti.

INSTA BIS primò. Nihil deest, quominus infinitum syncategorematicum cognoscatur à Deo,

Deo, ut categorematicum, & modus cognoscendi, quem habet Deus de illo, est idem planè, ac quem habet de infinito categorematico.

RESPONDETUR. Deesse connexionem prædicatorum debitam infinito categorematico modusq; cognoscendi, tenens se à parte cognitionis, utrobique actualitatem importat, sed non modus tenens se à parte objecti.

Alià Methodo eidem medio termino satisfieri potest: quòd scilicet ita cognoscat Deus infinitum categorematicum, ut non tantum singula illius individua cognoscat, dicendo; Nul- lum est individuum, quod ex hoc infinito non cognoscam, sed etiam attingit totam determi- nando collectionem dicendoq;. Hæc est tota collectio infiniti categorematici: Supposito, quòd notitia infiniti categorematici, non sit no- titia Entis rationis. Jam autem infinitum syncategorematicum, ita noscit, ut singula ejus indi- vidua attingat; sed non determinando: Hæc est tota collectio infiniti syncategorematici; quia quod ex vi essentiae suæ, non determinari, sed semper ulterius & ulterius procedere natum est, illud non potest determinari; ut dicatur, hæc est tota collectio infiniti syncategorematici.

INSTABIS secundò. De iis, quæ singula distri- butivè accepta cognoscit Deus, in infinito syn- categorematico, potest Deus dicere; nihil est plus in infinito syncategorematico, nisi hæc quæ cognosco. E. potest dicere, etià illud aliud. Hæc est tota collectio infiniti syncategorematici.

RESPONDETUR. Negatur Conseq. Ratio: quia prioris illius propositionis sensus est; nulla est pars incognita à Deo; per hanc autem non de- struitur potentialitas infiniti, seu esse in infi- nitum, si autem verum esset consequens, destrue- retur jam potentialitas & processus in infinitum.

INSTABIS tertio. Infinitum syncategoremati- cum est, quod est partim actu, partim potentiâ, in mente autem Dei, est tantum actu.

RESPONDETUR. Quòd in mente Dei, quoad exclusionem potentialitatis ad cognosci sit tan- tum actu, sed non quoad exclusionem poten- tialitatis in objecto, seu quoad esse, semper in infinitum.

OBJICIUNTUR secundò quædam Dialectica.

PRIMUM. Falsa est hæc particularis, aliquas infiniti Syncategorematici partes non videt Deus. Ergo vera est hæc; omnes videt: sunt e- nim hæc propositiones contradictoriæ.

RESPONDETUR distinguendo. Ergo omnes vi- det omnitate excludente potentialitatem ad cognosci: Conced: omnitate excludente in ob- jecto potentialitatem ad esse ultra, ad esse in infinitum. Neg: Et licet quando falsa est contra- dictoria, sine distinctione: debet esse altera ve- ra sine distinctione: id tamen tunc fit, quando in altera non manet ambiguitas mutæ suppo- sitionis, quòd hic contingit; nam in particulari, sensus tantum erat, quamcunque distributivè

agnosci, quamvis semper procedatur in infini- tum, & tamen hunc processum in infinitum, vi- detur ly: Omnes, tollere.

SECUNDUM. Nulla pars datur, quam Deus non cognoscat. Ergo omnem partem cogno- scit; sunt enim hæc propositiones æquipollentes.

RESPONDETUR; quòd omnem partem cog- noscat, omnitate excludente potentialitatem ad cognosci; sed non omnitate excludente po- tentialitatem ad esse in infinitum.

TERTIUM. Cognoscit Deus omnes partes di- stributivè. Ergo & omnes collectivè: quia pro præsentia, à distributivo ad collectivum tenet consequentia.

RESPONDETUR à distributivo ad collectivum tenere consequentiam, quando etiam in colle- ctivo non latet ambiguitas, latet autem in præ- senti; quia si sensus sit hujus partis, omnes colle- ctivè partes cognoscuntur, omnitate tenente se ad exclusionem potentialitatis ad cognosci, ve- ra est; si autem sit res de omnitate excludente potentialitatem ad esse in infinitum, falsa erit, nec in hoc sensu, processit altera propositio.

OBJICITUR tertio. Multitudo v. g. quam Deus cognoscit possibilem hominum, non est actu finita. Ergo est actu infinita. Ergo infinita categorematicè.

RESPONDETUR. Multitudinem possibilem, non esse actu finitam simpliciter, esse tamen a- ctu finitam in infinitum, seu eam esse in poten- tia ad ultra; sed inde non sequitur, illam jam esse actu infinitam. Deinde finito actu, non op- ponitur contradictoriè infinitum actu, sed con- trariè, contradictoriè autem opponitur non finitum actu, jam autem etiam infinito syncategorematico, convenit esse non finitum actu.

INSTABIS primò. Si per possibile, vel im- possibile daretur infinitum categorematicum, æquè non esset exhaustibile, ac infinitum syncategorematicum; & ex altera parte, infinitum syncategorematicum, tam est infinitum actu quoad cognosci; quam categorematicum est actu, quoad esse.

RESPONDETUR. Primam partem esse falsam, quia infinitum categorematicum si daretur, ef- fet exhaustibile per mensuras infinitas; infini- tum autem syncategorematicum non est ex- haustibile, etiam per mensuras infinitas; quia non determinat sibi certam infinitatem, infini- tum syncategorematicum, sed solum semper est ultra, & ultra, semperq; est in infinitum: licet etiam hoc verum esset de infinito categorema- tico, si omnem possibilem, in illo genere, perfe- ctionem importaret. Quando autem compa- ratur inter se actualitas, utriusque infiniti, nulla in infinito syncategorematico concedenda actua- litas, nisi excludens potentialitatem ad cognosci, sed non admittenda actualitas, excludens potentialitatem ad esse ultra, ad esse in infi- nitum.

INSTABIS secundò. Accipiamus totum infinitum syncategorematicum, vel illud dicit aliquid ultra se, vel non dicit? Si non dicit, Ergo & in mente Dei non dicit. Ergo in mente Dei est determinatum; Si dicit? Ergo aliquid est, quod ultra se est.

RESPONDETUR. Infinitum quidem syncategorematicum, non dicit aliquid ultra se; dicit tamen esse, ultra quamlibet finitudinem, unde etiam in mente Dei, non dicit aliquid ultra se; dicit tamen, ut sit semper ultra; ad eum modum, quo ipsum ultra, non dicit ultra, quod sit ultra, dicit tamen esse ultra, adeoque esse sine ulla determinatione.

INSTABIS tertio. Si infinitum syncategorematicum, à Deo secundum omnes partes, distributive acceptas cognitum, seu prout est in mente Dei à parte rei poneretur, esse infinitum actu. Ergo & in mente Dei, est infinitum actu. Ergo est infinitum categorematicum. Antecedens prob: quia ita positum infinitum, nihil potentialitatis haberet, planè ac nihil potentialitatis habet in mente Dei.

RESPONDETUR. Neg. Antecedens. Sicut enim in mente Dei, est syncategorematicum, ita et si prout est in mente Dei poneretur, syncategorematicum esset; & licet ita positum infinitum, nihil potentialitatis habeat ad nosci, habet tamen potentialitatem objectivam, & respondentem illi notitiæ, inclusamq; in ipso esse; & tamen secundum illud esse, poni deberet; præcipue cum positio rei, debet esse similis sibi cognitæ, non autem cognitioni, cuius solius actualitas supponitur.

ADDO. Posse fieri hæc Quæstionem, & de re, & de voce; de voce erit Quæstio, si ex eo, quia nihil est, quod non cognoscat Deus, in infinito syncategorematico, inferas, dici illud debere categorematicum in notitia, & tunc in re verum dices, licet malè phrasi id exprimas: De re autem erit Quæstio, si in ipso objecto, nullam potentialitatem agnoscas, relucens in illa notitia, quamvis tenentem se, non nisi à parte objecti, negamus enim illam potentiam non relucere in illo objecto.

DE ALIIS PROPRIETATIBUS CORPORIS.

AGemus imprimis de Motu, & eius Termino, seu Vbi, tum de Duratione. Et licet hæc proprietates, non sint proprie soli, conveniunt tamen etiam corpori.

DISPUTATIO XII. De Motu.

PRIMO quidem agemus de Motu in communi: postea de eodem in particulari; ac denique de inceptione & desitione motus.

QUÆRES PRIMò. *Quid sit motus in communi?*

RESPONDET Aristoteles 3. Phys. textu 6. & 11. *Motum esse actum entis in potentia, prout in potentia.* Dicitur *actus*, sumendo ly *actus*, non pro solo actu perfecto, qui convenit formis, ad quas datur motus, suntq; ipse terminus motus; sed sumitur ly *Actus*, pro solo actu imperfecto, & medio ad terminum, qualis motus est calefactio ad calorem: ne autem æquè latè pateat definitum ac definitivum genus, debet ly *actus* sumi, prout est quid commune, ad actum perfectum, & imperfectum; ut ita ly *actus* latius pateat, præ ipso motu. Dicitur *actus entis*, ly *ens* sumendo, non transcendentaliter, sed participaliter; id est existentis subiecti. Cæterum hæc prioritas existentiae, sufficiet ut sit prioritas, non temporis, sed

naturæ, & sic si sol ab æterno profudisset lumen, ille fuisset motus, licet subiectum non antecessisset tempore, sed naturà. Dicitur *entis in potentia prout in potentia*, ut significetur, quod adveniat enti, in pura potentia ad terminum habendum, existenti; & formæ accessu, jam est in actu terminus, non verò in potentia prout potentia ad illam formam. Inferes, si Cæli, quamvis ab æterno moverentur, motui illorum conveniret hæc definitio, quia sufficit, ut diximus, prioritas naturæ: & quia fuissent, & nunc sunt in potentia, respectu illius distantiae, quàm ratione partium successive motarum acquirit cælum. Convenit item motibus violentis: quia ly in potentia, sumitur pro sola capacitate connotante negatione actus, sive illa sit capacitas, pro forma appetita, tanquam bono subiecti, sive sit illa capacitas innaturalis. Et quia ratione eorū, quæ jam acquiruntur per motum, non est actus entis in potentia, prout in potentia, sed actus entis in actu.